

1702.

- 11^o, 16^o Nag. Haas, Leopoldus Caes., I.R.S. Comes: De resumendum nomine per actionem Publidianam
vindicatione. 1 Siegl.
12. Helius, Lucas Haasian: De jure defensionis.
- 13^o, 18^o Ruorre, Laurentius Fridericus: De probacione nobilitatis
latit per instrumenta 2 Siegl.
- 14^o, 19^o Nittelblatt, Daniel: De incertitudine causarum recentiorum
analogiam.
- 15^o, 20^o Nittelblatt, Daniel: De imperio loci iustitiae protestan-
tibus. Rom. Gen. - vera natura et iudiciale. 3 Siegl.
16. Wiculan, Gottlob Samuel: Organicas iuris cultam dei ceterorum
concernentibus.
17. Pauli, Carolus Fridericus: De jure bellici societatis mercatorum
in rei publicae privilegiatae usq; binae atroxysten Handels-
Compagnie
- 18^o, 19^o. Rontenus, Janus Hartrich: Anjus Romanum juri possi-
tivam civile iuris in Germania expedit? 2 Siegl.


1751.

20⁹¹⁰ Rautens, Iacobus Hartwich: De foro competenti formula-
tionum ex praecepta I. Differenti & C. de inge. macrum
et l. si cunctat 28 0. de fiducientibus.

21. Hartwigsz, Iacobus Fridericus: De insufficienhi philosophiae
moralis et rerum felicitatum ex doctrina gis de con-
scientia demonstrata.

Vol XVII. n. 2.

DISSE²⁶⁶
REI NVNQVAM POSSESSAE
PER
ACTIONEM PVBLICIANAM 1751 116
VINDICATIONE.



QVAM

LEOPOLDVS CAESAR
S. R. I. COMES A NAY-HAVS
AVCTOR ET RESPONDENS

PRAESIDE
VIRO CONSULTISSIMO
PHILIPPO IACOBO HEISLER

IVR. VTR. DOCTORE
IN ALMA FRIDERICIANA

HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS

DIE XXVIII. AVGUSTI ANNO MDCCCLI.
PVBLICE PROPVGNAbit.



HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

MDCCCLXI.

(8)

M. 2.

DIGESTA LITERARIA IN RIBERA
DE
RERUM MUNDANARUM POSSESSIVE
ACCTIONUM PARENTIONE
INDIVIDUALI
CIVILIS
POTESTOLOVVS CAESAR
ZLICATORE AIAK-HAY
ACCESSUS ET RECONSIDERATIONIS
VICTOR
BAAEBIUS
PHILIPPO JACOBIO HERSTELLER
TCDIO
ALLEGORICO-LOGICO
ANALYTICO
SINN-UNIVERSITATIS
BESSETTA



DISSERTATIO IVRIDICA
DE
REI NVNQVAM POSSESSAE
PER
ACTIONEM PVBLICIANAM
VINDICATIONE.

CAPUT I.

DE
ACTIONIS PVBLICIANAE FVNDA-
MENTO AC DEFINITIONE.

Dominium, quod Probari potest, dicimus *Dominium*
dominium verum, & eum, qui vero *verum*,
gaudet dominio, *verum dominium* vo-
camus.

§. I.

A 2

E. gr.

4 *Dissertatio Juridica de rei nunquam posse esse*

E. gr. Quando rem quandam emi a Titio, domino liberam alienandi facultatem habente, eamque eo nomine mihi traditam accepi, sine dubio translatum in me est dominium. Pone autem, me probare non posse auctoris mei dominium, & tunc translatum in me esse dominium non appetet: quid enim, si venditor dominus non fuit? profecto tunc neque ab eo proficisci in me dominium potuit: cum explorari juris sit, neminem plus juris in alium transferre posse; quam ipse haber, l. 54. ff. de R. I. Verum hanc ipsam ob causam, quod probare dominium nequeam, iura pro vero domino me non habent, id quod ex eo manifestum fit, quod certo certius in judicio causa sit casurus auctor, qui, rem suam vindicaturus, in vero se dominio fundans id probare nequit, quamvis fortasse vere dominus sit l. ult. Cod. de R. V. l. 2. C. de probat. l. 4. C. de edendo, arguento non dubio, iura verum dominium non habere eum, qui se talem judicii non probaverit. Neque hoc mirum: nam non esse, & non appetere, in moralibus idem sunt. Quodsi vero, praeter traditionem ex venditione factam, etiam auctoris mei dominium probbo, translatum in me esse dominium probavi l. 20. pr. ff. de A. R. D., in rei vindicatione vixtor cernissime extiturus. Ex quo pater, illi dum verum dominium in judiciis tribui, qui hoc probavit judici.

§. II.

Dominium presumptum & fictum quid? Dominium, quod, quamvis probari non possit, leges ob bonam fidem & justum titulum pro tali habent, dicimus *presumptum*, a quo dissent dominum *fictum* i. e. tale, quod leges, quamvis non competat, competere simpliciter assumunt. Ex his simul pater, quis sit *dominus presumptus*, & quis *fictus* appellandus.

Juvat

per actionem publicianam vindicatione.

5

Juvat utrumque exemplo illustrare. Pone, me præ-dium a non domino, quem dominum esse bona fide cre-didi, emisse, idque mihi traditum eo nomine a vendito-re fuisse, & habes casum, quo præsumtum mihi domi-nium competit. Nam, etiam si hoc casu probare domi-nium non queam: (neque enim transferre venditor in me dominium potuit, quippe quod ipse non habebat l. 20. pr. ff. de A. R. D.), leges tamen, quia bona fide titulique justo i. e. ad transferendum dominium habili, prædii emi possessionem natus sum, pro domino me habent, atque jura mihi tribuunt, domino alias com-pe-tentia, e. g. talis b. f. possessor fructus æque, ac si verus dominus esset, percipiendo suos facit l. 48. pr. ff. de A. R. D. hac a PAVLO addita ratione: quia b. f. emitor loco domini pene est. Erin leg. 25. §. 1. ff. de usur. hec verba legimus: *bona fidei possessor in percipiendis fructibus id juris habet, quod dominis prædiorum tributum est.* Porro talis b. f. possessor potest rem amissam vin-dicare l. 1. pr. ff. de public. in rem act. Et c. Verbo ut omnia complectar, *bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas* (i. e. verum dominum), teste PAVLO in l. 136. ff. de R. I. id quod tamen tantum in re-gula verum est. Nam bonam fidem non in omnibus idem præstare, quod præstat veritas, & nos infra mo-nebimus, & ex PAVLI limitatione: *quoties lex impedi-mento non est, disce potest.* Tolle vero bonam fidem, fac, exulare justum titulum, & possessor simplex tan-tum administrator rei alienæ, imo, si titulo destituitur omni, prædo & invasor, qui in perpetua restituendi mora est, habetur, ut recte monet SCHAMBERG in Com-pend Juri. Digest. Tit. de hereditat. petit §. 10., tantum abest, ut verus dominus l. 7. §. 11. Et 17. ff. de publi-cian. in rem act. l. 13 § 1. eos. l. 24. C. de R. V. Specta-tu domum præsumtum, jam spectandum quoque si-

A 3

Etum



6. *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessae*

etum dabo. E gr. absens fuisti reipublicæ cauſi, aut ab hostibus captus; ego, te abſente, rem tuam uſuepi. Hoc cauſi certum eſt, te amisſe dominum ex juris ci- vilis diſpoſitione l. 3. ff. de uſurp. pr. f. de uſucap. Sed Prætor, æquitate naturali duclus, ſimpliciter, i. e. quamvis pro te nec bona fides amplius militet, nec aliquis titulus, aſſumit, te adhuc dominum eſte, dum fingit, me uſucaptionem, quam sine tua culpa aut negligentia perfeci, non perfecſſe, qua fictione præſuppoſita, utique non potest non simul fingere, te rei, per uſucaptionem amisſe, adhuc dominum eſtare. Et ex dicto iſthoc dominio ribi, reduci facto, Prætor rei amisſe vindicationem concedit, §. 5. f. de action. quaꝝ action, quoniam per eam uſucatio reſeinditur, ab hoc effectu *reſiſſoria* ſalutari conſuevit. Caeterum dominium, quod cum SCHAVMVRGIO in Compend. Jur. Digest, Tit. de publicana in rem actione §. 1. præſumptum dixi, alii etiam vocant *putativum*, uti e. g. e. BOEHMER in Introduc. in Jus digest. §. 1. 2. eod. Item *quaſi dominium*. IDEM cit. loc. Et hinc etiam frequens illa Practi- corum formula: peto rem jure dominii (ſcilicet veri), vel *quaſi* h. e. præſumti.

§. III.

De rei vin- dicatione in rem §. 1. in fin. f. de action. l. 23. pr. ff. de R. V. axiomatica. quæ, ſi ad rem ſingularem corporalem petendam destinata eſt, *Rei vindicatio* appellatur rubr. Et l. 1. pr. §. 1. ff. eod., in qua actor debet probare dominium l. 9. ff. eod., ſecus cauſa caſurus l. fin. C. eod. §. 4. f. de interdict. ; adeoque rei vindicatio præ- ſupponit dominium verum (§. 1.), cuius probatio vel ideo valde diſſiſilis, quod actor regulariter de- beat

per actionem publicianam vindicatione.

7

beat probare auctoris sui dominium (schol. ad §. 1.).
Mittimus jam dominium verum; nos præsumtum
avocat.

§. IV.

*Traditio vel possesso ad dominium præsumtum Quatenus
requiritur in iis casibus, quibus dominium secundum possesso ad
leges acquiri nequit sine traditione vel possessione, ut præsumtum
puta, si dominium acquirendum per pacta l. 20. C de dominium
pact. vel per usucacionem l. 3. l. 25. ff. de usurp.; requira-
neutiquam vero in iis casibus, quibus dominium ac-
quiritur etiam sine traditione & possessione, veluti in
acquisitionibus ex ultima voluntate, præsertim lega-
torum l. 80. ff. de legat. 2. l. 64. ff. de furtis. Enim
vero leges dominium demum præsumunt, si adsit
bona fides & titulus ad transferendum dominium
habilis (§. 2.). Jam vero si secundum leges domi-
nium acquiri nequit sine traditione vel possessione,
fieri non potest, ut quis sit in bona fide, i. e. ut justa
opinione putet, se dominum esse effectum ex tali
causa, nulla interveniente traditione vel possessio-
ne: nam vel scit, sine traditione & possessione do-
minium acquiri non posse, vel ignorat. Casu priori
re per se clarum est, bonam fidem in eo exulare;
casu posteriore vero laborat juris ignorantia, qua-
lis ad bonam fidem non sufficit arg. l. 2. §. 15. ff.
pro emt. l. 109. ff. de V. S. Sed & habilis titulus de-
sideratur. Tituli enim e. g. pro emto, pro dona-
to & id genus alii tunc demum existunt habiles ad
transferendum dominium, si per traditionem im-
prægnantur. Traditionibus enim, non nudis, (i. e.
nulla*



8 *Dissertatio Juridica de rei nunquam posseſſe*

nulla subsecuta traditione), pactis dominia rerum transferuntur l. 20. C. de pac̄t. Patet itaque, in catastibus, quibus dominium secundum leges sine traditione vel possessione acquiri nequit, traditionem vel possessionem ad pr̄sumptum dominium omnino requiri. *Et hoc erat primum.*

Quodsi vero ponas casum, quo dominium acquiritur sine ulla traditione & possessione, velut contingit in legatis, tunc profecto & justam putandi causam quis habet, in se rei legare dominium transisse, h. e. potest laudare bonam fidem, & simul titulo gaudet habili ad transferendum dominium, nimirum titulo pro legato, tametsi nulla rei legata traditio facta, nec legatarius alio modo ejus possessionem sit naētus. Quid igitur obstat, quo minus pr̄sumptum ei dominium tribuamus, quippe quod bona fide & justo titulo quam maxime nititur (§. 2.)? Certe obstat nequit traditionis aut possessionis defectus: quia in tali casu neutra actum dominii acquisitivum ingreditur, adeoque neutra ad pr̄sumptionem dominii pertinere potest, utpote determinationes dominii acquirendi intuitu prorsus otiosæ & inutiles, quarumque ideo nulla, hoc respectu, ratio habenda. Evidem non eo insicias, in pr̄sumptionibus juris eo quam maxime esse respiciendum, quas determinationes ad pr̄sumptionem leges requirant; etiam hoc ultra concedo, potuisse leges disponere, ut dominium nunquam pr̄sumatur, nisi aliqua traditio vel poss. tellio

cessio intervenierit. Verum & hoc extra dubitatio-
nis aleam est positum, in casibus, quibus sine hisce
determinationibus dominium transit, eas, utope
hoc respectu prorsus superfluas, sine clara lege ad
præsumti dominii requisita non esse referendas.
Si enim referantur, nā hōc siet sine omni solidi-
ratione, nullo fundamento. Iam vero, edic, ubi
exstat talis lex? nusquam sane; quas enim fortas-
se laudabis, eas, omni orbatas vi, evanescere in
fumum infra cernes. Igitur & hoc in probatis
est, traditionem vel possessionem in iis casibus, qui-
bus ad dominii acquisitionem non sunt necessariae,
ad dominium præsumtum frustra requiri. *Et hoc*
erat alterum.

§. V.

In concursu duorum non dominorum, pro quo æquitati,
rum altero justus titulus & bona fides militant, pro
altero vero non, manifesta æquitas postulat, ut illi
contra hunc, possessorem, actio ad rem pecudam con-
cedatur. Æquitas, dictante sana ratione, postulat,
ut in collisione jus infirmius cedat fortiori, adeo-
que etiam, ut fortiore jure utenti succurratur con-
tra jure infirmiore munatum. Atqui is, pro quo
bona fides & justus titulus militant, sine dubio ha-
bet jus fortius eo, qui in mala fide constitutus vel
nullum, vel certe non justum allegare titulum pot-
est. Quis itaque dubitat, in concursu duorum
non dominorum, pro quorum altero bona fides &
justus titulus militant, pro altero vero non, mani-

B

festæ

10 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessae*

festæ æquitatis esse, ut illi contra hunc, possessorum, succurratur, atque æctio concedatur ad rem petendam?

§. VI.

*Jus civile
contrari-
um.*

Jus civile romanum in concursu duorum non dominorum, quorum alter bonam fidem ac justum titulum laudare potest, alter vero non, æquitati manifeste repugnat. Etenim in hac hypothesi æquitas postular, ut illi æctio ad rem petendam concedatur contra hunc, possessorum, (§. 5.). Atqui jus civile romanum hanc denegat, utpote secundum quod rem vindicaturus causa cadit, si dominium probare nequeat (§. 3.), quod vero probare in nostra hypothesi certe non potest, quia eum non esse dominum ponimus. Cernis igitur, ius civile romanum in hypothesi nostra æquitati manifeste pugnare.

Subaudi ramen in his, quæ hæcenus dicta: nisi possidens aliunde possit allegare justam non restituendi causam. Finge enim, te rem a petitore accepisse ex locato vel pignore, eumque illam vindicare tempore locationis nondum elapo, aut debito nondum solum, & contra vindicantem omnino exceptione turus eris tam secundum æquitatem, quam secundum leges civiles.

§. VII.

*Publiciana
ex æquita-
te introdu-
cta.* His præmissis, iam difficile non amplius est ad intelligendum, quae fuerit ratio introducenda actionis publicanae, æquitas nimirum. Namvero cum sepe continget, ut quis, rem iusto natus ti-

tulo

tulo ac bona fide , eam vindicaturus in dominii probatione , ute pote valde difficulti , deficeret , & sic rem possessori , nullam licet justam possessionis causam allegare valenti , ex juris ciuilis rigore , sed contra manifestam æquitatem , relinquere cogeretur (§. 3. & 5.): æquissimus Prætor , ægre hand iniquitatem ferens , edixit: *si quis id , quod traditur ex iusta causa non a domino , & nondum usucatum petet , judicium dabo.* Hoc igitur editio Prætor ei , qui rem alienam a non domino bona fide ac justo titulo accepit , ejus vero possessionem iterum amisit , actionem se daturum contra possidentem promittit ad eam rem recuperandam , quamvis actor verum dominium probare non possit , nec rem usuceperit , eo cum effectu , ac si verum dominium probare posset , aut rem usucapisset . Et hæc actio , quoniam a Prætore PVBLICIO primum in editio proposita est , JUSTINIANO teste §. 4. §. de actione , PVBLICIANA vocatur . Constat nempe atque non adeo reprehendendus Prætorum mos is erat , ut , quantum possent , juris civilis iniquitati obviam irent , varia eum in finem contra juris civilis rigorem remedias introducentes , qua de re satis & abunde testantur tot actiones , tot exceptiones , tot in integrum restitutions prætoriae , quæ in jure nostro fere utramque paginam faciunt . Hic , ut dixi , Prætorum mos credere nos jubet , non alia PVBLICIVM ratione commotum hanc in suo editio actionem proposuisse , quam studio æquitatis , quippe quæ talem actionem manifeste efflagitabat

B 2

(§. 5.)

12 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

(§. 5.), ast denegabat jus civile (§. 6.). Testes hujus rei omni exceptione majores sistimus JUSTINIANUM & NERATIUM, qui ambo actionis publicianæ originem laudant æquitatem, ille in §. 4.
J. de actione, hic in *L. ult. ff. b. t.*

§. VIII.

Requirit bonam fidem & justum titulum.

Prætor actionem publicianam non concedit, nisi iis, qui justum titulum & bonam fidem laudare possunt. *l. i. pr. l. 3. §. 1. l. 7. §. n. 17. l. 13. pr. §. 1. ff. b. t.*
Neque hoc mirum: nam propter æquitatem inventa est a Prætore hæc actio; iam vero, sublati petitoris bona fide justoque titulo, cessat ratio æquitatis. Ideo enim æquitas publicianam exigit, quia petitoris jus fortius vincere debet jus infirmius possessoris (per demonstr. ad §. 5.). Atqui jus fortius petitor non habet, qui & ipse ex mala fide turpis est, justi tituli non magis munimine cinctus, quam possessor. Ergo nec publiciana dignus habendus est.

§. IX.

Eius funda- mentum proximum quid?

Ratio ac fundamentum actionis publicianæ est dominium præsumptum, ex æquitate orium. Prætor ei, qui bona fide ac justo titulo rem alienam accepit, ejus postea iterum amissæ repetitionem per publicianam concedit, non minus, quam si vere eius rei dominus esset (§. 7.). Ergo Prætor talem in effectu pro domino habet, quamvis probare dominium non possit. Et quoniam Prætor hanc actionem non concedit, nisi ei, qui bonam fidem & justum

stum titulum landare potest (§. 8.), consequens est, ut Prætor ob bonam petitoris fidem & justum titulum ipsum pro domino habeat, quippe non habiturus, si hæc desiderentur. Jam vero dominium, quod, quamvis probari non possit, leges pro tali habent ob bonam fidem & justum titulum, dicimus dominium præsumtum (§. 2.). Ergo ratio ac fundamentum actionis publiciana est dominium præsumtum. Et quia porro Prætor ideo in tali bona fidei petitore dominium præsumit, quoniam æquitas hoc postulat, sequitur, ut actionis publiciana ratio ac fundamentum sit dominium præsumtum ex æquitate ortum.

Primum igitur, idque magis generale publiciana fundamentum est æquitas (§. 7.). Quodsi vero casum, quo illam æquitatem agnoscat Prætor; magis determinamus, incidimus in publiciana fundumentum proximum, idque magis speciale, dominium nimurum præsumtum.

§. X.

Ex haec tenus dictis conficio

1) *actionem publicianam introductam esse in Publiciana subsidium rei vindicationis, ut sit eius vicaria, eique rei vindicationem illa locum non haberet, adeoque non minus, ria ad quid quam rei vindicationem, comparatum esse ad rem ab alio possessum cum omni causa vindicandam.* Aetionem publicianam a Prætore ideo esse introductam, ut in casu, quo b. f. petitor, rem vindicaturus, probare dominium nequit, rei vindicationis defectum

B 3

in

141 *Dissertatio Juridica de rei nunquam posseſſe*

in subsidium suppleat, ejusque locum tanquam vi-
taria teneat, & iam ostensum est supra (§. 7.), &
probat etiam *l. 1. §. 1. ff. b. t.* Ex hoc autem, quod
publiciana sit rei vindicationis quasi vicaria ac sur-
rogatum aliquod, prono alveo fluit, publicianam
tendere ad rem a posſeffore cum omni cauſa vin-
dicandam. Quamvis hoc ultimum etiam hac ratio-
ne demonstrari queat. Publiciana ex praefumto
competit dominio (§. 9.). Jam vero tantundem
operatur dominium praefumto in caſu praefum-
to, quantum verum dominium in caſu vero, ideo
quia leges praefumto dominium pro vero ha-
bent (§. 2.). Atqui hoc operatur dominium ve-
rum, ut res vindicetur cum omni cauſa (per no-
tiſſ. jur. princ.). Ergo & praefumto dominium
ataque ex eo enſcens publiciana idem operari de-
bent. Confirmat hoc *l. 7. §. 8. ff. b. t.* ubi **ULPIA-**
NUS ait: *in publiciana actione omnia eadem erunt,*
quæ & in rei vindicatione diximus. Adde *l. 13. pr.*
l. ult. ff. eod.

Verum & nos & **ULPIANUS** cum sale intelligi cupi-
mus. Non ita actio publiciana est surrogata rei vindica-
tioni, ut nullum proſlus inter utramque diſcrimen re-
maneat. Si enim hoc: actio publiciana non eſſet rei vin-
dicationis ſurrogatum, ſed ipsiſſima foret rei vindicatio.
Accipiendo itaque hoc eſt cum limitatione: *ſalva diſ-*
ferentia, quæ ex diſverſitate conceptuum utriuſque actionis
necessario promanat. Sic e. g. haec inter publicianam
& rei vindicationem intercedit diſferentia, quod in hac
probandum ſit dominium, non item in illa. Verum hanc
diſferentiam ipſa utriuſque actionis notiones statim ſup-
pedi-

peditant. Nam rei vindicatio presupponit verum dominium (§. 3.) & per consequens probandum (§. 1.). At vero publiciana presumto nititur dominio (§. 9.). Ergo in publiciana dominium non est probandum (§. 2.).

§. XI.

Ex haec tenus dictis conficio

2) *actionem publicianam dari cuivis domino presumto, nemini vero, qui talis non est.* Nam ratio ac fundamentum huius actionis est dominium presumptum (§. 9.). Iam vero, posita ratione, poniamo quoque rationatum; cessante vero ratione, & rationatum cessare ex ontologicis compertum habemus. Paret ergo, actionem publicianam competere cuivis domino presumto, denegandam vero esse omnibus, qui tales non sunt.

Repete tamen, quod ad primum membrum, illam, limitationem, quam inculcavi supra in scholio ad §. 6., cui, adde & hanc: *nisi ad sit specialis legis prohibitio, qualis est in rebus alienari prohibitis l. 12. §. 4. ff. b. r. item in rebus virtiosis l. 9. §. 5. ff. eod.* In his enim Praetor publicianam non concedit: quia in his casibus aequitatem, ex qua dominium presumptum resulat, non agnoscit, nec harum rerum acquisitionem pro iusta haber, partim ne contra leges faciat l. 12. §. 4. b. r. partim ex odio, quo persequuntur leges res virtio affectas, ne ab alio facile acquirantur.

§. XII.

Ex dictis conficio

3) *actionem publicianam dari contra quemvis possessorem infirmiore jure utentem; adeoque non contra dominium ipsum, nec contra aequali jure mutantum.* Contra quem?

16 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessio-*

nitum. Actio publiciana tendit ad rem vindican-
dam ac restituendam (§. 10). Ergo contra posses-
sorem detur, necesse est, id quod etiam ex eo ma-
nifestum sit, quod sit vicaria rei vindicationis (§.
eod.). Jam vero rei vindicatio semper datur con-
tra possessorem l. 9. 36. pr. 42. ff. de R. V. Ergo &
publiciana. Quoniam vero actionis publicianæ
fundamentum est dominium presumptum ex aequi-
tate ortum (§. 9.), consequitur, eam locum tunc de-
mum habere, quando actor allegare potest tale pra-
sumptum dominium (§. 11.). Atqui tale allegare
tunc demum potest, si fortius jus haberet, quam pos-
sessor (per demonstr. ad §. 5.). Vides igitur, pu-
blicianam non dari, nisi contra possessorem infir-
miore jure urentem. Jam vero dominus infirmio-
re jure certe non utitur, sed utique multo fortio-
re. Ergo contra ipsum dominum non datur pu-
bliciana, recte monentibus PAVLO & NERATIO
in l. penult. & ult. ff. h. t. Idem dic de eo, qui æ-
quali cum petitore jure gaudet, quippe cuius jus,
cætera par, possesso efficit fortius jure petitoris l. 9.
§. 4. in fin. ff. h. t., id quod etiam satis clare innuit
illa juris regula: *in pars causa possessor potior haberi*
debet l. 128. ff. de R. I. Et sâne, si publiciana etiam
contra ipsum dominum, vel saltem contra posses-
sorem æquali jure gaudenter daretur, ea vim po-
tius inferret aequitati, cuius gratia tamen in venta
est, quam auxilium præberet. Certissimum ita-
que est, publicianam contra ipsum rei dominum,
aut contra possessorem, æquali munitum jure, non
compe-

competere, sed semper contra infirmiore jure uten-
tem dari.

Quod de vero rei domino dixi, contra illum non com-
petere publicianam, patitur exceptions, in quas tamen
in praeficiarum inquirere, non est nostri instituti. Has
nolle si cupis, evolve scripta DD. ad Tit. de publiciana in
rem actione.

§. XIII.

Ex dictis conficio

4) *præsumptum dominium cum conditione usu- Negata con-
capiendi* sœpe quidem concurrere, ast non semper &
necessario: adeoque a conditione usucapiendi ad actio- ditioneusu-
nem publicianam negatrum argumentum non vale- capiendi,
re. Enimvero sœpe, imo plerumque, contingit, ut non recte
in eo, qui præsumto gaudet dominio, cum bona fi- negatur
de & justo titulo etiam reliqua concurrent ad condi- publiciana.
tionem usucapiendi requisita, veluti possessio &
rei usucapiendæ habilitas. His vero positis, etiam
ipsa ponitur usucapiendi conditio: posita enim cau-
sa non potest non poni effectus. In aprico igitur
est, præsumptum dominium cum conditione usuca-
piendi sœpe, imo plerumque concurrere. *Ecce
primum.*

Verum, quoniam fieri potest, ut præsumptum
dominium existat etiam sine ulla traditione vel pos-
sessione interveniente (§. 4.); sine possessione vero
nulla cogitari usucapio potest *I.3. l. 25 ff de usurp.:*
consequens est ut præsumptum dominium cum con-
ditione usucapiendi non semper & necessario con-
currat. *Ecce secundum.*

C

Porro,

18 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

Porro, quia, qui dominio præsumto gaudet, hoc ipso etiam habet publicanam (§. 11.); dominio præsumto vero quis gaudere potest, quin simul sit aut fuerit in conditione usucapiendi constitutus (per mox demonstr.): rursus consequitur, ut publiciana competere possit, etiam si actor nunquam fuerit constitutus in conditione usucapiendi; adeoque ut negativum a conditione usucapiendi ad publicianam argumentum non valeat. Hinc falsa est consequentia: Titius non potuit usucapere. Ergo nec habet publicanam. *Ecce tertium.*

§. XIV.

Ex dictis conficio

*Vulgare
publiciana
fundamen-
tum reici-
tur.*

5) fictionem, vi cuius cœpta usucapio pro completa habetur, male a DD. fundamentum actionis publiciana constitui. Interdum enim publiciana competit, etiam si actor nunquam possederit, per consequens etiam si nunquam fuerit in conditione usucapiendi constitutus (§. 11. & 4.). Tali vero casu existente, fieri sane non potest, in fictio, vi cuius cœpta usucapio pro completa habetur, fundamentum actionis publiciana existimetur: quia, nunquam cœptam esse usucaptionem, ponimus. Minus recte igitur a DD. hæc fictio fundamentum actionis publiciana constituitur. Et certe in casu, quo competit publiciana, quamvis actor cursum usucaptionis nunquam inchoaverit, vel aliud adstrui debet publiciana fundamentum, ab illa fictione disersum; vel hoc absurdum admittendum, posse actionem publi-

publicianam interdum esse sine omni fundamento. Potest etiam ex eo veritas propositionis colligi, quod, si illa fictio esset fundamentum actionis publicianæ (nimisrum univerale: de hoc enim solo jam sermo), sequi deberet, argumentum negativum a conditione usucapiendi ad publicianam universali- ter valere: quia posito fundamento simul id poni necessum foret, quod per fundamentum est. At qui hoc falsum (§. 13.). Ergo falsum & id, unde se- quitur. Confirmat hoc PAULUS in I. 12 §. 2. 3. ff. h. t. Ibi: *m̄ vestigalibus & aliis pr̄eius, QUÆ USUCAPI NON POSSUNT, PUBLICIANA COMPETIT, si forte bona fide mihi tradita sunt.* Idem est, & si superficiariam insulam a non domino bona fide emero.

§. XV.

Ex dictis conficio

6) ACTIONIS PUBLICIANÆ definitionem, Publiciane quod sit rei vindicatio præteria, ex præsumto domi- definitio- nio competens, non esse improbandam (§. 7. 9. 10.).

Non ego solus publicianam rei vindicationem pre- triam appello. Idem & alii faciunt e. g. ■ LVBVICI in Doctr. Pand. §. 1. h. t. Ibi: *actio publiciana nibil aliud est, quam rei vindicatio prætoria.* Neque immerito hanc actionem rei vindicationem vocamus: quia hujus est vi- caria, eique in subsidium surrogata, ad eundem cum rei vindicatione finem tendens, eundemque producens effe- dum (§. 10.). Nec vindicationis nomen te turber: hoc enim nomine venire solent omnes actiones in rem I. 25. pr. ff. de O. & A., quas inter sine dubio & publicianam referri oportet: quia ex dominio oritur, scilicet præsum-

20 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possesse*

to (§. 9.). Addidi, *prætoria*: quia nimisrum a Prætore est inventa (§. 7.), hoc a rei vindicatione stricte sic dicta differens, quod hæc sit actio civilis (§. 3.). Omisit LUDOVICUS verba: *ex presumto dominio*, quæ tamen vel ideo non sunt negligenda, quia & actio rescissoria est rei vindicatio quædam prætoria (Schol. ad §. 2.), ast non ex præsumto, sed facto competens dominio (§. 2.). Quod actio publiciana per hanc ultimam determinationem etiam a rei vindicatione civili possit discerni, vel me non monente perspicis: quia hæc iterum non ex præsumto, sed vero dominio resultat.

§. XVI.

Transf. ad obiectio- nes. Bona adversariorum pace haec tenus verba scripsi; sed jam interpellant, probe gnari illius: principiis obsta. Et profecto hisce, quæ hucusque præstruximus, principiis nisi statim contradicatur, sera deinde, quando præcipuum hujus dissertationis thesin stabilitum ibimus, erit penitentia, & certissima penes nos extitura victoria. Audiamus igitur, quæ contra habeant monere.

§. XVII.

Adversa- riorum do- ctri- na- nar- rati- vus. In eo quidem DD., quos ego quidem scio, ad unum omnes convenient, æquitatem fuisse, quam commotus Prætor actionem publicianam adinveniret; sed in hoc a me discedunt, quod afferant uno ore, Prætorem pro fundamento hujus actionis adsumisse fictionem, vi cuius cepta ab auctore usucatio pro iam completa habenda, ad quam sententiam colorandam ita rem narrant. Prætor, inquit, tanta nunquam fuit potestate instructus, ut directe contra jus civile edicere potuerit, quamvis non

non obscuram s^epe iniquitatem proderet. Quare variis coloribus fictionibusque habuit opus ad modum juris civilis rigori ponendum, quin tamen simplici plebeculae isthac suboleret fraus. Hocce artificii genere & Prætor PUBLICIUS usus, ei, qui rem quandam ex justa causa sibi traditam bona fide accepit, ejusdem possessione iterum exuto, publicianam in suo edicto concessit ad eam vindicandam, etiam si dominium probare, (quam tamen probationem jus civile imperat §. 3.), nequeat, hoc prætextu, quod actor fuerit in curia usucaptionis constitutus, quem absolvisse vel ideo fingendus sit, quod æquitas, contra juris civilis rigorem obtinenda, hanc fictionem manifeste postulet. Hac fictione, (pergunt Doctores), præsupposita, actor non potuit non simul dominus singi rei, per publicianam vindicandæ, utpote per fictionem usu captæ. Et sic, actori vindicationem rei concedere, præceptis juris civilis jam non amplius repugnare videbatur. Hæc si ita se habent, consequitur, esse, cur actionis publicianæ fundamentum non tam præsumtum, quam *sicutum*, dominium esse dicamus: quia nimur Prætor pro vero assūmisit, quod erat oppido falsum, actorem nempe rem usucipisse, quam certo non usuciperat (§. 2.). Verum & hoc consequitur, actionem publicianam nemini dandam esse, quam ei, qui *sicutum* ex sieta usucapione allegare dominium potest, i. e. ei, qui, si possessionem rei, per publicianam vindicandæ, non amisisset, potuisse eam, accidente temporis lapsu, usucapere.

C 3

Deni-

22 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessae*

Denique consequitur & hoc, a veritate non parum esse aliena, quæ nos supra §phis 9, 11, 13, 14, 15. disputavimus.

Cæterum non refert nihil, dominio facto, mox laudato, nitarur publiciana, an præsumto. Si enim illud dicas, negare debes legatario cui res aliena legata est, ejus possessionem nondum facto, hujus rei vindicandæ ergo competere publicianam, quamvis bona fide, se ejusdem rei dominum esse effectum, credat. Idem vero affirmare necessum habes, si actionem publicianam ex præsumto oriri dominio mecum defendis (§. 11. & 4.).

§. XVIII.

Argumen-
tis stabili-
tur,

Quam §pho præcedente recitavi, adversariorum sententiam jam refutaram dedi supra (§. 14.). Magis vero ut ejus futilitatem perspicias, etiam argumenta, quibus ad eam confirmandam utuntur, resolvere operæ pretium puto. Primum capiunt ex ipso Prætoris editio l. i. pr. ff b.t., ex quo verba: *nondum usucaptum*, urgent, quasi his verbis satis clare indicaverit Prætor, se tunc demum actionem publicianam concessurum, si cursum usucaptionis jam incepit auctor, utpote secus non idoneus, qui complevisse usucaptionem fingi queat. Deinde parrocinium suæ sententiae præprimis quadrunt in §. 4. §. de act., ubi inquit JUSTINIANUS, inventam esse a Prætore actionem (subintellige, publicianam), in qua dicit is, qui possessionem amfit, eam rem se usucepisse, quam usu non cepit, & ita vindicat suam esse. Hisce verbis, (ita adversarii), nihil profecto clarius esse potest. Quis enim iam non videt,

videt, eum, qui publiciana experitur, in ficta usu-
capione & ex hac fictione resultante ficto dominio
se suamque intentionem fundare? Verum præterea
alios textus in medium adferunt, quibus non mi-
nor claritas ac convictio subest. Sic e. gr. **ULPIA-**
NVS in *I. 7. §. 17. ff. b. t.* negat, eum, qui sciens rem
alienam emerit, traditamque acceperit, publiciana
uti posse, addita hac ratione: *quia usucapere non
poterit.* Ecce negativum a conditione usucapiendi
ad publicianam argumentum! Huic legi addunt
aliam, priori consimilem, nimirum *I. 9. §. 5. ff. b. t.*
*Ibi: hæc actio (publiciana) in his, quæ usucapi non
possunt, locum non habet.* Sed & affirmativum a
conditione usucapiendi ad publicianam argumen-
tum leges probant, ut videre est in *I. 7. §. 2 ff. b. t.*
quæ ita se habet: **MARCELLUS** scribit, *eum, qui a
furioso, ignorans eum furere, emit, posse usucapere;*
*ergo, (inde concludit JCTus), & publicianam habe-
bit.* Idem argumenti genus habet *I. u. §. 4 ff. b. t.*,
ubi **ULPIANUS** ex JULIANO docet, posse me par-
tum ancillæ furtivæ, quam ipsam usucapere pos-
sem, si furtiva non esset, usucapere, dummodo
furtivam esse matrem ignorem, ex qua sententia
iterum concludit: *ignor & publicianam habebo.*
Ex hisce legibus per apertissimam, (si adversarios
audimus), consequentiam fluit, eum publiciana ex-
periri posse, qui potuisset, accedente temporis la-
psi, usucapere, ab illa vero prorsus esse exclu-
dendum, qui hoc non potuit. *Et hoc erat demon-
strandum.*

§. XIX.

24 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessae*

*Eisdem re-
spondetur.*

§. XIX.

Hætenus argumenta adversariorum crepabant; creperat jam nostra responsio. Negare vulgo primam juris regulam confidere dicitur. Nego itaque Prætorem publicanæ fundimentum potuisse in facto ex facta usucapione dominio; nego, eis duntaxat hac actione experiri datum, qui potuerint rem vindicandam, accedente temporis lapsu, usucapere; nego igitur & hoc, a veritate esse aliena, quæ nos supra §phis 9, 11, 13, 14, 15, disputavimus. Sed quid ad argumenta adversariorum? Accipe.

*Edictum
Prætoris
explicatur.*

§. XX.

Verba edicti, quibus ad destruendam thesin nostram utuntur, quid? abutuntur adversarii, ita se habent: *si quis id, quod traditur ex iusta causa non a domino, & nondum usucatum petet, judicium dabo.* Amabo te! ubi Prætor in hoc edicto ait, nemini publicanem se daturum, nisi ei, qui antea in conditione usucapiendi fuerit constitutus? ubi situationem, qua cœpta usucatio pro completa habenda, hujus actionis necessarium requisitum ac fundamentum esse jussit? Lynceis profecto oculis tibi erit opus, si haec in verbis Prætoris perspicere velis; &, quamvis lynceis adhuc habeas clariores, ramen, mihi crede, non perspicies. Prætor ei, qui rem quandam ex iusta causa sibi traditam a non domino bona fide accepit, sed ejus possessionem iterum amisit, promittit ejus rei vindicandæ causa actionem publicanam, & cur? utique non ideo, quod tangat,

tingat, actorem usucaptionem, quam iam inchoaverat, adimplevisse: de hac enim fictione Prætor ne verbo quidem; sed ideo, quia æquitas, quæ totius edicti ratio fuit (§. 7.), quæque eiusmodi fictionem certe ignorat, postulare videbatur, ut aetori, bonam fidem & justum titulum laudare valenti, actio ad rem perendam contra infirmiore ju- re possidentem concedatur (§. 5.). Neque est, cur in verbis: *nondum usucaptum*, adverbarii aliquid præsidii querant: nam non ideo Prætor usucapio- nis fecit mentionem, ut indicaret, se pro funda- mento aetionis publicianæ fictum ex dicta usuca- pione dominium posuisse, eamque ob rem nemini- nem hac actione experturum, qui cceptam usuca- pionem absolvisse singi non possit: hunc enim sen- sum ex verbis edicti extorquere velle, quid hoc foret aliud, quam aquam e silice? Potius ideo haec verba Prætor suo inseruit edicto, ut nos commo- nefaceret, locum publicianæ non futurum, si res iam usucapta petatur. Nempe PUBLICIUS hanc actionem introduxit in *subsidium* rei vindicationis, ob deficientem dominii probationem locum non invenientis (§. 10.). Pone autem, actorem rem iam usucaptam petere, & tunc sine dubio habebit civilem rei vindicationem, utope verus usucapi- endo dominus factus rei vindicandæ. Ergo non indigebit rei vindicatione prætoria, quam ideo et- iam non concessurus est Prætor. Et hoc ipsum in causa est, quod necessarium duxerit dicere: & *nondum usucaptum petet.* Sensus itaque edicti est:

D

si

26 *Dissertatio Juridica de rei nunquam posseſſe*

Si quis id, quod traditur ex iusta causa non a domino, (ejus posſeſſione iterum amissa) petet, iudicium dabo, non aliter tamen, quam si id, quod petitur, a petitore nondum uſu captum fuerit, quibus ultimis verbis inculcavit Prætor, se illis tantum auxilium allaturum, quibus id contra aequitatem denegaverit jus civile. Ex his iam perspicuum fit, non ideo verba: nondum uſu captum, injecta a Prætore esse, ut hisce definiret, conditionem uſuapiendi in necessariis actoris, publicana experturi, qualitatibus esse, sed ut certiores nos ficeret, se hanc actionem tantum in subdium rei vindicationis proposuisse, atque illam non esse concessurum, quocties quis uſuacione aut alio modo verum dominium & cum hoc civilem rei vindicationem fuerit consecutus. Et hanc edicti explicationem, quæ quam maxime naturalis est, nec ab ipsis adversariis in dubium vocari debet, acceptam referimus VLPIANO in I. i. §. i. ff. b. t. verbis edicti statim subiungenti: merito Prætor ait, NONDUM USU CAPTUM: nam si uſu captum est, habet civilem actionem, nec desiderat honorariam seu prætriām.

§. XXI.

*Noſtra ſeu
rentia evin-
citur.* Themide magis propitia noſtra thesis, nimirum fundamen tum publicanæ præsumptum eſſe do- minium (§. 9.), ex edicti verbis elicitur. Enim vero quis aequus rerum aſtimator non videt? Prætorem tunc, cum verba edicti conciperet, ejusmodi caſum ante oculos habuisse, quo traditione opus

opus ad acquirendum dominium, puta pacta & contractus, præterim vero emtionem venditionem: vel quia hæc edicto ansam præbuit; vel quia ex titulis dominii translatis emtione venditione non est frequentior ullus. Patet hoc primum ex verbis: *quod TRADITUR ex justa causa, ex quibus colligi poselt, Prætorem conceptis verbis non de qualibet justa causa, sed de tali loqui, quam sublequi traditio debet.* Deinde quod de emtione venditione dixi, præterim liquet ex alio edicti fragmento, (verba enim edicti non semper integræ in eodem loco recitantur,) quod extat in l. 7. §. n. b. t. Ibi: *ait Prætor, qui bona fide EMIT.* Et in tali casu Prætor ad publicianam requirit a) *iustam causam* h. e. titulum habilem ad transferendum dominium, (vid. verba edicti); b) *bonam fidem*: *ait enim Prætor, qui BONA FIDE emit.* Idem non obscure colligo ex verbis: *nondum usucaptum, quippe quæ verba usucaptionem iam inchoatam loquuntur; inchoari vero usucatio sine bona fide non potuisset;* c) ut res ex ea causa *tradita* sit: *ait enim edictum: quod ex justa causa TRADITUR.* Et haec tria in dato casu ita requirit Prætor, ut, uno eorum sublatto, nullum publicianæ locum sit relietur, quia tunc nec æquitas, cuius tamen sublevandæ causa edictum est propofitum, illam exigit. Vid. supra §. 8. & l. 7. §. 16. l. ult. ff. b. t. His vero concurrentibus, statim publicianum promittit edictum. Ad haec igitur in casu dato Prætor publicianum penitus alligavit, in

D 2

iisdem.

28 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

iisdemque tanquam suo fundamento conquiescere voluit. Jam vero hæc tria in casu, quem ante oculos Prætor habuit, edicti verba concipiens, conficiunt dominium præsumtum (§. 2. & 4.). Ergo Prætor pro fundamento actionis publicianæ in suo edicto assumit dominium præsumtum. Probat itaque thesin nostram Prætoris edictum, tantum abest, ut eidem obsteret. Sed patere, ut pergam in ratiocinando. Quoniam ex mente Prætoris fundamentum publicianæ in præsumto dominio consistit, sequitur, ut locum inueniat, quoties actor prædictus est dominio præsumto, nec intersit, sive fuerit in conditione usucapiendi constitutus, sive non, sive fingi usucapio possit, sive non. Sed ex hoc ipso sequitur porro, falla esse, quæ de facta usucapione & ex hac resultante facto dominio, publicianæ fundamento, ex Prætoris edicto adversarii sibi figura tñgunt, invita certe Minerva.

§. XXII.

*Ex edicti
interpreta-
zione ex-
tenſiva.*

Instas, edictum utique tale subiectum actionis publicianæ desiderare, quod in conditione usucapiendi fuerit constitutum. Resp. nego; vel, si mavis, distinguo: edictum desiderat subiectum, quod in conditione usucapiendi fuerit constitutum, in casu illo particulari, de quo cogitavit Prætor, edicti verba concipiens, concedo; in casu omni & universaliter, nego. Prætor, edicto concipiendo occupatus, in mente habuit casum, quo traditione opus ad translationem dominii (§. 21.). Et in tali casu

casu omnino fieri potest, ut præsumtum dominium, adeoque etiam publiciana, cum condicione usucapiendi concurrat (§. 13. 15.). Verum hoc ad contingentia referendum, nec inde statim conclusio facienda, quod præsumtum dominium & cum hoc publiciana semper ac necessario concurrere cum condicione usucapiendi debeant. Hoc enim esset argumentari a particulari ad universale, a contingente a necessarium, quale argumentandi genus Logici ac Metaphysici merito improbant, atque derident. Nunquid ratio edicti, atque ab ea pendens Praetoris mens, magis inspicienda, quam verba? Ratio edicti vero est æquitas (§. 7.), & ex ea resultans præsumtum dominium (§. 9.). Jam vero æquitas illa præsumtumque illud dominium sine dubio sese extendunt ultra casum, Praetori, edictum conscribenti, ante oculos positum, cum existant & alii casus, quibus hæc æquitas cum præsumto dominio subest, quamvis non simul concurrat usucapiendi conditio (§. 13.). Ergo etiam edictum est extendendum ultra casum, quem verba edicti exhibent, secus a Praetoris mente ac voluntate aberrabis, quippe quæ eousque sese porrigit, quoisque edicti ratio. Non immerito miseros prædicamus interpres, qui cortici verborum inhaerentes nucleo non vescuntur, & monstra parriunt, non in legislatoris, sed suo cerebro nata. Cogita, quod scire leges non hoc sit verba earum tenere, sed vim ac potestatem *L. 17. ff. de LL.*, quid vero est vis ac potestas legis? utique vera legislatoris

toris mens ac voluntas, in tota sua comprehensio-
ne sumta. Hæc vero ex quo magis conjecturari
atque erui potest, quam ex legis ratione? Juvat
exemplo rem illustrare. Edictum AEdilitium,
quamvis conceptis verbis tantum de *venditione* lo-
quatur, & quidem de illa speciatim, qua *mancipia*
vel *jumenta* vendantur virtuosa l. i. §. 1. l. 38 pr. ff.
de aed. l. edict., ab interprete ULPIANO tamen et-
iam ad alios contractus onerosos, dominii transla-
tivos, e. gr. ad permutationem l. 19. §. 5. ff. eod.
item ad omnes res venales, sive animatas, sive in-
animatas, sive mobiles, sive immobiles per exten-
sivam interpretationem trahitur l. i. pr. l. 49. l. 61.
ff. eod., non ex alia certe ratione, quam quod ma-
gis editi rationem, qua est, ut occurratur fallacis
vendentium, & emitoribus succurratur, quicunque
decepti a vendoribus fuerint l. i. §. 2. ff. eod., &
qua ex hæc colligi debet, AEdilis mentem secutus
sit, quam verba. Hanc ULPIANI interpretandi
artem & in nostro edito oportet imitari: cum &
hic ratio editi latius pareat verbis, id quod etiam
ipsi adversarii agnoscent, dum vocem: *usucaptionem*,
cum eodem ULPIANO extensive de *prescriptione*
interpretantes, publicanam etiam ad usumfructum
petendum comparatam esse contendunt (l. ii. §. 1.
b.t.), quamvis non sit objectum usucaptionis l. 44.
§. 5. ff. de *usurp.* Simile quid faciunt dum ei m-
ei, qui rem alienam, pro derelicta eam ex errore
habens, occupavit, adeam postea vindicandam pu-
blicanam tribuunt, quamvis hic casus verbis editi
non

non contineatur, quippe quod habet casum, quo alicui res tradita est; res vero, quæ occupatur, utique non traditur. Quod adversariis licet, quare & nobis non licet, nimur rationem editi magis, quam verba, spectare?

§. XXIII.

Instas porro, Prætorem in edito suo nullibi *objectioni occurritur.* meminisse *præsumti dominii*, adeoque hoc pro actionis publicianæ fundamento a nobis venditari quidem, sed nullis editi verbis probari. Primum respondeo retorquendo argumentum: Prætor etiam nullibi facit mentionem hactenæ cujusdam usufruptionis. Ergo & adversarius hanc pro fundamento publicianæ venditat, sed nullis editi verbis probat. Deinde distingo: Prætor nullibi meminit præsumti dominii expresse, concedo; non meminit dominii præsumti saltem implicite & virtualiter, nego. Sufficit, Prætorem in subiecto publicianæ capaci qualitates ejusmodi requirere, qui pro conditione ejus casus, de quo editum loquitur, præsumtum dominium constituant (§. 21.).

§. XXIV.

Denique neque me turbat, quod ajunt adversarii, Prætores facultare caruisse, directe contra ius civile edicendi, eamque ob causam variis opus habuisse fictionibus, quibus imprudenti plebeculae suum facerent. Verum enim hoc, quid tum? Sapne hoc non probat, Prætori abscessè configendum fuisse ad absurdam eamque ita comparatam fictionem,

*Alii objec-
tioni satis-*

nem, ut manu eam palpare etiam simplicissimi potuerint, nempe, auctorem usuccepisse, quem tamen non usuccepisse, nemo ignorabat. Alia eaque magis rationalibilis, & minus in sensum incurrens, suppetebat fraus, qua iniuritati juris civilis iri obviam potuit. Nimirum, Prætorem dixisse populo, credibile est, pro eo, qui rem ex justa causa & bona fide acceperit, & æquitatem & rationalem præsumptionem militare, eum dominum esse, donec possessor ius fortius docuerit. Hac dominii præsumptione præsupposita, juri civili non amplius repugnabit, ejusmodi b. f. periori, utspte præsumpto dominio superbienti, vindicationem rei largiri. Ex haec tenus dictis luce meridiana, (nisi me omnia fallunt), redditur clarius, edictum Prætoris sententiaæ meæ non tantum non obitare, sed & præsidii plurimum adferre, ab adversariis vero non frustra solum, sed etiam cum doctrinæ suæ dispenso allegari.

§. XXV.

*§. 4. J. de
action.*

Exploso eo, quod ex Prætoris edicto adversarii petunt, argumento, tranfeo ad alterum, sumtum ex §. 4. J. de action. (vid. supra §. 18.), quod non paulo majore difficultate laborat, facili tamen negotio superanda, modo sensum mentemque JUSTINIANI penitus intueamur. In d. §. 4. J. in eo est Imperator, ut occasionem rationemque editi prætorii describar, ejusdemque pleniorum nobis conceptum suppeditet, id quod JUSTINIANI verba vel fugitivo oculo perlegenti non potest non

non statim patere. Ex quo concludo, verba Imperatoris in dubio, & quādīu de alia ejus mente non certo constat, ita esse accipienda, prout verba Prætoris in edicto accipienda esse docui (§. 20. & 22.); nempe ideo, quia verba **JUSTINIANI** nihil aliud sunt, quam magis distincta atque uberior editi explicatio. Quodsi vero singas, alium verbis Imperatoris significatum respondere, alium item verbis Prætoris, verba Imperatoris non tam editi explicatio, quam nova legis constitutio erunt, id quod foret quam maxime contrarium **JUSTINIANI** intentioni, quæ ex toto contextu sat luculenter appetit. Jam vero Prætoris, edictum proponentis, mens minime hec fuit, ut in siesta usucapione publicianæ fundamentum collocet, neminem hac uti actione passurus, qui non fuerit in cursu usucaptionis iam iam constitutus: neque enim hic sensus ex edicto erui ullis ratiociniis potest, ex intimo licet artificio depromitis (§. 20, 22, 24.). Ergo nec verba **JUSTINIANI** in dubio, & quādīu non manifeste alia ejus mens doceri potest, in eum sunt sensum trahenda, quod publiciana experturus in siesto ex siesta usucapione dominio intentionem suam fundare necessum habeat.

§. XXVI.

His præmissis, dispiciamus, an conciliari verba Imperatoris & mens Prætoris queant, an vero inevitabilis quedam textus necessitas imperet, statuere, **JUSTINIANUM** manifestam a Prætore se-

E cēno.

34 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

cessionem fecisse, vel quia præmeditato consilio edictum correxit, vel quia ignorantia captus verba edicti non intellexit. Prius totius textus rationi esset contrarium, posterius vero valde temerarium. Sed aggrediamur ipsius textus explicacioni, & videbis, Imperatorem ne latum quidem unguem a Prætoris mente recessisse, quid? acu eandem tetigisse. Nimurum etiam IUSTINIANUS tunc, cum Prætoris interpres existens hæc verba ederet, casum ejusmodi sibi ante oculos posuerat, quo quis rem, ex justa causa sibi a non domino traditam, bona fide accepit, sed ejus possessionem casu iterum amisit, ut ipissima textus verba docent. Et in tali casti dicit, inventam esse a Prætore actionem publicianam ad supplendum juris civilis defectum. Ut vero huius actionis naturam atque efficaciam plenius explicet, addit: *in qua dicit is, qui possessionem amisit, eam rem se usuccepisse, quam usu non cepit, & ita vindicat suum esse.* Quod ad hæc verba attinet, pro expiorato habeo, & mecum habent aduersarii, ea non, prout iacent, crude & secundum litteram, sed cum pale & secundum efficaciam esse accipienda: secus enim actor in suo libello verbotenus deberet dicere, se petere rem ex eo fundamento, *quod eam usuccepit*, licet usu non cepisse in aprico sit, quod absolum fore nemo sanus non videt. Sic enim actor apertum diceret mendacium, atque ipse sibi contrarius esset, utpote sine dubio auditurus, sibi opponi a reo, oppido falsam esse intentionem actoris,

ris, quippe qui non fuisset publiciana usurus, si usucipisset, sed potius civili rei vindicatione, & ideo se petere absolutionem cum expensarum refutatione. Et hoc absurdum etiam eos non potuit fugere, quos in hac re adversarios sustinemus. Ex omnibus jam duos laudare sufficiat, IOHANN. STRAUCHIUM in Dissert. de publiciana in rem actione Thes. 8. & HOPPIUM in Comment. ad Instit. Justin. ad hunc text. Utterque ait, actorem in publiciana non debere conceptis verbis dicere, se usucipisse, sed sufficere, si *vi ipsa* hoc intendat, h. e. si dicat, (ut or ipissimis HOPPII verbis,) *sibi bona fiae & justo titulo rem esse traditam, adeoque se petere ejus restitutionem.* Bene est, accipio hanc adversariorum explicationem: manifeste enim facit pro me. Quid, quæso, hoc est aliud, quam dicere, se *presumtum esse dominum*, & ideo petere rei restitutionem? Enimvero bona fides, justus titulus & traditio in tali casu, de quo Imperator, conficiunt dominium *presumtum* (§. 2. & 4.). Ligitur sensus textus vere est hic, quod actor in actione publiciana talis esse debeat, qui *vi ipsa* dicere potest, se usucipisse i. e. qui propter bonam fidem & justum titulum, cum traditione pro qualitate ejus casus, de quo verba textus loquuntur, coniunctum, rem vindicat suam esse, non minus, quam si eam usucipisset. Ecce! quam nihil contrarii nostra aut Prætoris sententiae hic textus habeat, sed cum utraque ad amissum conveniat.

*Nostra the-
si favet.*

Hac stante textus interpretatione, quæ maxi-
me sana est, quamque ex ipsorum adversariorum
libris mutuati sumus, simul apparet, Imperato-
rem, quamvis casum præsentem listat, in quo præ-
sumtum dominium cum conditione usucapiendi ex
accidente concurrit, non magis tamen publicanam
in casibus reliquis, in quibus hoc non accidit, ex-
clusisse, quam exclusit Prator: quippe cuius in no-
stro textu interpretem agit, & ideo in eadem cum
Prætore sententia esse in dubio præsumendum est
(§. 25.). Quare hic velim repeatas omnia, quæ su-
pra (§. 22.) de Pratoris edito diximus, præser-
tim cum ipse sentiat Imperator, æquitatem intro-
ducendæ actionis publicanæ rationem extitisse: ait
enim, ideo a Prætore inventam esse hanc actio-
nem, quia DURUM sane erat, eo casu desicere a-
ctionem, pura civilem. Jam vero dubio caret, æ-
quitatem illam se se extendere ultra casum illum
particularem, quem, exemplo Pratoris, animo suo
præsertim proposuerat Imperator. Ergo & sensus
verborum Justinianeorum latius extendendus
est: cum interpretis sit, magis rationem legis, quam
verba spectare. Dicendum igitur est, IUSTINIA-
NUM in nostro textu casum, in quo præsumtum
dominium cum conditione usucapiendi concurrit,
commemorasse non restringendi, sed potius expli-
candi ergo, h. e. non ideo, ut publicanam ad talem
casum penitus restringat, sed ideo, ut præcipuo
quodam eoque frequentissimo exemplo illustret
casum,

casum, quo publiciana instituenda, ad Prætoris in
hac re exemplum sese accomodans.

§. XXVIII.

Dices: Imperator usucaptionis requisita, nem-
pe justum titulum, &c., quæ ex hoc præsumuntur, Textus dif-
ficitus ul-
terioris dis-
solvitur.
bonam fidem una cum traditione ad publicianam
requirit non solum in iis casibus, ubi hæc tria ad
præsumendum dominium requiruntur, veluti in em-
tione, donatione &c., sed etiam in iis, ~~ubi medicina~~
requisita præsumti dominii prorsus non ingredi-
tur, e. gr. in legatis (§. 4.): ait enim: *Namque si
cui ex justa causa res aliqua tradita fuerit (velut
ex causa emtionis, aut donationis, aut dotis, aut LE-
GATORUM), &c.* Ergo dicendum est, actionem
publicianam potius ad conditionem usucapien-
di alligatam esse, quam ad dominium præsumendum.
Resp. Imperator voluit exemplis illustrare, qualis
justa causa ad publicianam requiratur, ac sufficiat,
nimirum talis tantum, quæ habilis sit ad transferen-
dum dominium; hinc non sufficit causa pignoris
vel precarii l. 13. §. 1. ff. b. t. Et inter ejusmodi ju-
stas causas præter emtionem, donationem &c., er-
iam legata refert. Quod vero simul *traditionis* fa-
ciat mentionem, hoc ideo fit: quia inter justas cau-
sas, ex quibus publiciana competit, quarumque a-
liquot in hoc textu nominavit, sunt, & quidem ple-
ræque, quæ non existunt causæ justæ seu habiles
ad transferendum dominium, nisi traditio accedat.
Quare verbum: *tradita* non tam ad casum legato-
rum, quam ad casus reliquos ibi nominatos, nem-

E 3

pe

38 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

pe emtionem, donationem &c. referendum est: quia hæ traditionem requirunt, non æque legata. Non mediocriter hoc confirmatur, dum cogitamus, publicanam ad exemplum rei vindicationis dari, hujusque vicariam existere (§. 10.); adeoque in illa, uti in hac, magis dominii, quam possessionis rationem esse habendam, h.e. magis id esse attendendum, num ad situs & causa habilis ~~ad transitoriam~~ ~~ad dominium~~, quam noc, num per traditionem possessio fuerit translata l. 7. §. 6. ff. b. t. Nec enim, ut recte notat ANTON. FABER. in Rational. in Pande&t. ad l. 3. pr. ff. b. t. in fin., requiri mus in publicana possessionem, nisi propter dominium & in ordine ad dominium; nec prouide traditionem, que ipsa nihil, nisi possessionis translatio est. Jam vero quoniam legatum est justa & ad dominium transferendum habilis causa, etiamsi nulla traditio accesserit l. 80. ff. de legat. 2., neutquam vero emtio, donatio l. 20. C. de pact., consequitur, ut JUSTINIANUS in textu nostro non propter legata, sed propter emtionem, donationem &c., traditionis meminerit. Quodsi vero nondum cessas, verbum: traditur etiam ad legata referre, facies hoc pace mea; sed tunc negabo ego, Imperatorem intuitu legatorum traditionis mentionem fecisse tanquam determinationis ad actionem publicanam necessariæ, sed hoc factum esse dicam tantum contingenter, & quia etiam in legis hoc ordinarium est, ut post traditionem demum, sed casu quodam iterum amissam possessionem, publicanam quis instituat.

stituat. Cernis iam, etiam hæc bruta esse, quæ ex Justiniane texu contra sententiam nostram emit-
tuntur, fulmina.

§. XXIX.

Prodeat in medium ULPIANUS, cuius qua-
tuor textus ad subvertendam thesin nostram reci-
tant adversarii (supra §. 18.). Primus extat in l. 7. f. b.t.
Non olsat l. 7. §. 17.
§. 17. ff. b.t., cuius verba hæc sunt: *Julianus lib. 7.*
Digestorum scriptit, traditionem rei emtæ oportere
bona fide fieri: ideoque si sciens alienam possessionem
apprehendit, publiciana eum experiri non posse: quia
usucapere non poterit. Hoc loco JCrus negative a
conditione usucapiendi ad actionem publicianam ar-
gumentatur. Resp. argumentatur, sed argumento
ad requisitum *bonæ fidei* relato, quæ sine dubio &
usucaptioni & publicianæ communis est. Hic igi-
tur textus nil probat aliud, quam a negatione con-
ditionis usucapiendi, si *propter malam fidem ne-*
gatur, argumentum procedere ad negationem pu-
blicianæ. Et hoc est, quod quam lubentissime con-
cedimus, sed salva nostra thesi. Probet adversarius,
hanc regulam, nimirum quod a conditione usuca-
piendi ad actionem publicianam negativum argu-
mentum semper procedat, in aliqua lege *universaliter*
inculcati, & tunc vietas dabimus manus. Et
quando probabit? ad græcas scilicet Calendas. Sal-
tem in hac ULPIANI lege hujus regulæ universalis
ne vestigium quidem reperio.

§. XXX.

Revocemus sub incudem etiam secundum

ULPI.

40 Dissertatio Juridica de rei nunquam possessae

Nec l. 9. §.
§. ff. b. t.

ULPIANI textum, quem exhibet l. 9. §. 5. ff. b. t. Ibi: hæc actio (publiciana) in his, quæ usucapi non possunt, puta furtivis, vel in servo fugitivo, locum non habet. Sane hic textus videtur universaliter adstruere regulam, non dari publicianam, ubi non datur usucapio. Resp. videtur adstruere, sed non adstruit. Lege, & relege hunc textum, & aliam certe ex eo propositionem non elicies, quam hanc: *res vitiose non recipiunt actionem publicianam, sicut & usucaptionem non recipiunt.* Igitur si ex hoc textu regula quedam conficienda esset, sane non aliam inde conficeres, quam hanc: *quoties ob rei vitium non procedit usucapio, toties nec publiciana locum habet:* neutiquam vero hanc: *quoties non procedit usucapio, toties nec publiciana locum habet.* Quantum vero inter utramque discriminis intercedat, nemo non videt, nisi talpa cæcior. Posterior enim argumentum negativum a conditione usucapiendi ad publicianam adstruit *universaliter*, non item prior. Illam vero priorem regulam iterum admittere possumus salva thesi nostra. Instas, ULPIANUM utique universaliter hoc dicere: *actio publiciana in his, quæ usucapi non possunt, locum non habet.* Resp. distinguo: dicit hoc universaliter, universalitate ad solum objectum relata, hoc transeat: universalitate relata ad omnia usucaptionis & publiciana requisita, in complexu sumta, hoc nego, & pernego. Nunquid JCtus clare dicit: *in his, subintellige: rebus?* quibus verbis satis perspicue indicat, se in hoc textu jam non relipere ad omnia usucaptionis

captionis & publicianæ requisita, e. g. etiam ad habilitatem subiecti, ad præcedentem possessionem &, quæ sunt id genus, alia, sed tantum ad qualitates obiecti h. e. rei per publicianam vindicandas. Imo, si dicendum, quod res est ne quidem qualitates obiecti universaliter considerat JCrus, sed eam tantum, vi cuius res *vitirosas* dicimus: quod enim initio de qualitatibus obiecti videbatur universaliter enunciassse, mox ipse restrinxit in verbis: *ut puta furtivis vel servo fugitivo, ex ea haud dubie ratione, quod meruebat, fore, ut sua verba universaliter accipiантur, quæ tamen ipse universaliter accipi noluit, sed de ea tantum rei qualitate, quam *vitium* in jure appellamus.* Et sane, si ULPIANUS universaliter asseruisset, quod ad qualitates obiecti, idem prorsus juris esse in publiciana, quod juris est in usucapione, graviter ei contradiceret PAULUS in l. 12. §. 2. 3. ff. h. t. En iterum fracta, quæ ex ULPIANI pharetra in nos vibrasti, tela!

§. XXXI.

Sistat se examini tertius ULPIANI textus, Multo mi-
quem invenimus in l. 7. §. 2. b. t. quæ ita se habet: *nus l. 7. §. 2.*
Marcellus scribit, eum, qui a furioso, ignorans eum b. t.
fure, emit, posse usucapere: ergo & publicianam ba-
bebit. In hac lege affirmativum a conditione usu-
capiendi ad publicianam argumentum ducitur.
Resp. concedo totum argumentum, sed quid inde?
Posita conditione usuaciendi, ponitur bona fides,
ponitur justus titulus, ponitur possessio (per vulg.

F

jur.

jur. pr.); his vero positis ponitur dominium præsumtum (§. 2. & 4.); ergo & actio publiciana (§. 15.). Sed quid ex eo, quod affirmativum a conditione usucapiendi ad publicianam valere probes argumentum, hoc modo: *quicunque potuifſet, ſi poſſeſſionem non amifſet, uſucapere, iſi etiam habet publicianam*, ex hoc, inquam, quid contra me inferre velis, aut poſſis, plane non video, an hoc fortasse? Ergo etiam, *quicunque publicianam habet, iſi potuifſet, ſi poſſeſſionem non amifſet, uſucapere*, aut hoc? Ergo *quicunque non potuifſet, ſi poſſeſſionem non amifſet, uſucapere, iſi neque habet publicianam*. Verum in priore argumento ignorantiam regulæ conversionis: *propositio univerſalis affirmanſ non poteſt iato converti simpliciter*, turpiter proderes, in posteriore vero in vitiosum argumentandi genus incidentes, huic simillimum: *quicunque ambulat, ſe movet*. Ego *quicunque non ambulat, ſe non movet*. Tu prius proba, conditionem uſucapiendi in necessariis publicianæ requisitis esse, & tunc huiusmodi conclusiones tibi concedam.

§. XXXI.

Nec denique l. ii. §. 4. b. t. Adesto denique quartus ULPIANI textus, quem habet *l. n. §. 4. ff. b. t.* in hac verba: *Idem Julianus generaliter dicit, ex qua cauſa matrem uſucapere poſſem, ſi furtiva non eſſet, ex ea cauſa partum me uſucapere, ſi furtivam eſſe matrem ignorabam. Ex omnibus igitur caſib⁹ publicianam habebo*. Verum quoniam ex hac lege iterum nihil inferre adversarius potest, quam valere affirmativum
a con-

a conditione usucapiendi ad publicianam argumentum, (vid. supra §. 18.), tam parum ea mihi obstat, quam parum lex mox ventilata spacio præcedente. Quare supervacaneum duco, diutius eidem inhære-
re. Satius est, ad ea properare, quæ habet

C A P V T II.

DE

POSSESSIONE, AN ET QUATENUS AD PUBLICIANÆ REQUISITA SIT REFERENDA?

§. XXXIII.

Ostendo genuino actionis publiciana fundamen- *Transitio*
to, præmissa ejusdem actionis definitione, labefactatis adversariorum objectionibus, tandem de possessione, an & quatenus ad hujus actionis requi-
sita referri debeat, licet definire.

§. XXXIV.

*Quidquid est requisitum ad dominium præsum- ad requisita
tum, etiam est requisitum ad actionem publicianam. publiciana.*
Dominium præsumtum est ratio ac fundamentum actionis publiciana (§. 9.), adeo ut, posito dominio præsumto, ponatur quoque actio publiciana; eo vero non posito, nec publiciana ponatur (§. 11.). Ex quo prono fluit alveo, omnes illas determinations, quibus non positis, dominium præsumtum quoque non ponitur, esse simul determinations, quibus non positis, actio publiciana quoque non ponitur. Ejusmodi vero determinationes cum requi-
ta

44 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

sita vocentur, consequens est, omne id, quod est requisitum ad dominium præsumtum, esse quoque requisitum ad actionem publicianam.

Status controversie exhibetur.
Ex hoc principio jam difficile tibi non accidet, de requisitis actionis publicianæ judicium ferre, bona fide scilicet ac iusto titulo (§. 2.). De possessione vero quid sentiendum, pro instituti mei ratione jam pluribus exponam. Ante omnia status controversia rite determinandus. Quæritur enim, an etiam is, qui rem, quam per actionem publicianam vindicare vult, nunquam possedit, hac actione experiri queat? in qua questione alii in affirmativa, in negativa alii abeunt sententiam. Prioribus calculum adjicere diu mecum dubitavi: partim quia leges, quæ pro stabilienda sua sententia in medium adserunt, non satis probant, quod probandum; partim & principue quia pro fundamento actionis publicianæ fictionem quæ excepta usucatio pro impleta habetur, cum communis opinione assument, quæ stante fictione, negari certe non amplius potest, possessionem ad publicianæ requisita pertinere; partim denique, quia rotus titulus Pandectarum de publiciana in rem actione scater legibus, quæ pro opposita sententia apertis verbis militare videntur. Verum, re curatore, ut decet, contemplatione persensa, non potui non affirmantium sententiam amplecti, aliis iisque multo solidioribus coenictus argumentis, ac sunt ea, quibus vulgo ad probandum hanc thesin utuntur ejusdem patroni. Euge igitur! progrediamur ad rem, quæ fieri non potest, ut negotii quicquam mihi facessat, postquam principia præstabilivi, quibus tuto insistere pede licebit.

§. XXXV.

Ad decisio-
nem præpa-
requisito, duos casus separari atque seorsim consi-
ratio.

In doctrina de possessione, actionis publicianæ

considera

derari oportet. Primum dantur casus, quibus sine ulla traditione vel possessione dominium acquiri nequit; deinde dantur quoque casus, quibus ad dominii acquisitionem nec traditione opus, nec possessione (§. 4.). Et pro horum diversitate casuum differunt requisita dominii præsumti (§. eod.); ad eoque non possunt non simul requisita actionis publicianæ variare (§. 15. 34.). De utrisque igitur jam separatim dicemus.

§. XXXVI.

*In casibus, quibus dominium acquiri nequit, nisi
interveniente traditione vel possessione, ad actionem
publicianam requiritur, actorem fuisse in possessione
rei, per publicianam vindicandæ.* Quidquid enim est requisitum ad dominium præsumtum, est etiam requisitum ad actionem publicianam (§. 34.). At qui in casibus, in hoc §pho recensitis, possessio est requisitum ad dominium præsumtum (§. 4.). Ergo in casibus, in hoc §pho recensitis, possessio etiam est requisitum ad actionem publicianam.

*Casus, qui-
bus possesso
ad publicia-
nam requi-
ritur, indi-
cantur.*

Quod possessio præterita, non præsens, hoc loco intellegitur, ex actionis publicianæ natura ac fine per se patet (§. 10.). Majoris claritatis ergo addam exemplum. Tu emisti equum a non domino, quem dominum esse bona fide credidisti. Equus ante, quam traditus tibi a venditore fuerit, in alterius ejusdam possessionem venit. Hoc casu non habes publicianam ad equum a possessore vindicandum l. 7. §. 16. l. ult. ff. b. t. Ratio est in promissam emto dominium in emtorem non transfert, nisi traditione subsecuta l. 20. C. de pact. §. 41. 42. 43. J. de R. D. Ergo, nondum subsecuta traditione, emtor nondum

46 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

gaudet dominio præsumto (§ 4.). Ergo nec publiciana (§. 11.).

§. XXXVII.

Casus, qui-
bus possesso sine traditione vel possessione interveniente, actionem
ad publicia atquando fuisse in possessione rei, per publicianam
nam non re-
vindicande, ad actionem publicianam non requiritur.
quiritur, Hic Rhodus, hic salta.
definiun-
tur.

Juvat, rem ante, quam manum ad probandam hanc thesin admoveam, exemplo illustrare. Titius Cajo in suo testamento dat, legar equum suum. Excedit e vivis Titius, & equi legati dominium in legatarium *recta via* tranfit i. 80. ff. de legat. 2. i. 64. ff. defurt. Sed quid? si equus ille prius, quam ejus possessionem apprehendit legarius, in tertii eiusdem manum venerit: tunc legarius rei vindicatione contra possessorem recte utitur. Pone autem, rei vindicationem non procedere, eo quod probare testatoris dominium non possit (§. 3.), quia forasse ipsi legata est res aliena. An hujus locum in dato casu supplebit publiciana? Negant permulti, quos inter non ultimo nominandus loco venit Clariss. KRAVISIUS in Dissert. de indeole actionis publiciana §. 13. 14. 15.; ego vero affirmare nullus dubito, modo legatarius sit in bona fide constitutus, putans, rem legaram testatoris fuisse. Audiamus argumenta primum mea, deinde & adversarium, denique rationes subducentes dissertationi imponamus finem.

§. XXXVIII.

Pro mea
thespi argu-
mentum
primum.

Jam sic argumentor. Posito dominio præsumto, ponitur actio publiciana (§. 15.). Atqui in casibus, quibus dominium acquiritur etiam nulla traditione vel possessione interveniente, ponitur domini-

minium præsumptum, etiamsi auctor nunquam fuerit in possessione rei, per publicianam vindicandæ, constitutus (§. 4.). Ergo in his casibus etiam ponitur publiciana, etiamsi auctor nunquam fuerit in possessione rei, per hanc actionem vindicandæ constitutus, cæteris nempe requisitis, bona fide & justo titulo, salvis. Et hoc, tametsi in gratiam adversario-rum a præsumpto abstrahamus dominio, nihilo ta- men secius verum erit. Enimvero saltem hoc con- cedunt adversarii ad unum omnes, rationem edicti prætorii &, quæ inde resultavit, actionis publicia- nae fuisse æquitatem, contra rigorem juris civilis obtinendam (§. 7.). Jam vero eadem pro rorsus æqui- tas pro auctore, etiamsi nunquam possessionem na- cto, militat in casu, quo dominium etiam nulla tra- ditione vel possessione interveniente acquiritur, quæ militat pro eo, qui aliquando possedit, in calu, quo dominium demum interveniente traditione vel possessione acquiritur. Ergo etiam in illo casu priore auctori publiciana non minus est tribuenda, quam in hoc posteriore: quia rationatum cum ra- tione pari passu ambulare, atque eousque extendi debet, quousque se extendit ratio. Propositio mi- nor vel ideo in dubium vocari nequit, quia æquitas, quæ publicianam suavit, hoc nititur fundamento, quod jus fortius in collisione præhaberi debeat juri debiliiori (demonstr. ad §. 5.). Atqui petitor in ca- su, quo dominium etiam sine ulla traditione vel pos- sessione acquiritur, æque jus fortius habet possesso- re, etiamsi nunquam nactus fuerit possessionem,

quam

quam is, qui possedit, in casu, quo possessio ad acquisitionem dominii est necessaria: nam potest utique allegare bonam fidem & justum titulum e. g. titulum pro legato, possessor vero hoc non potest (per hypoth.). Ergo etiam æque debet habere publicanam, etiamsi nunquam possederit, atque is, qui possedit, in casu, quo possessio ad dominii acquisitionem est necessaria. Et, quæsto, quid discriminis efficere possesso potest, ubi ad eam redit nihil, ubi prorsus est supervacua? est autem sine dubio supervacua, cum de publicana queritur in casu, quo a possessione *dominii* acquisitione plane non dependet: non enim publicana traditionem pro causa habet, ut optimè observat ANT. FABER. in Ration. in Pandect. pr. h. t., sed *dominium*, sive per traditionem, si vè ex alia causa quoquomodo acquisitum. Vbi ergo dominium sine omni traditione vel possessione acquiritur, certe non minus acquisitum esse, præsumi potest etiam sine traditione vel possessione, quam in casu, quo traditio vel possessio intervenit, si haec ad dominii acquisitionem est necessaria. Ergo etiam non minus locum habebit publicana, præsternit cum non ideo, (sunt verba BRUNNEMANNI in Comment. in Pandect. ad l. 7. §. 6. ff. h. t. n. 6.), actor obtineat causam, *quia possedit*, sed *quia possedit iusto titulo*, h. e. *quia iustus titulus*, ex quo bona fides præsumitur, in publicana potius attenditur, quam possessio, utope qua in casu e. g. legati nec ad dominium præsumptum, nec ad hoc, ut actor ius fortius habeat, desideratur, sed tanquam determinatio super.

supervacua & accidentalis adesse & abesse potest, sal-
va publiciana.

§. XXXIX.

Accedit & hoc, quod actio publiciana a Præ- Argumen-
tore extructa sit in subsidium civilis rei vindicatio tum secun-
nis, ita ut huius defientis locum suppleat tanquam dum.
vicaria & surrogatum aliquod (§. 10.). Ergo civilis
rei vindicationis naturam atque indolem debet imi-
tari, nisi quatenus utriusque actionis essentialis con-
ceptus differentiam ponit (schol. ad § eund.): secus
enim non posset dici vicaria & surrogatum rei vin-
dicationis, nec huius officio fungeretur. Jam vero
civilis rei vindicatio in casu, quo dominium trans-
fertur sine traditione vel possessione, competit do-
mino, etiamsi nunquam natus sit possessionem (§.
3.). Est itaque, cur in tali casu & publicianam præ-
sumto domino competere statuamus, etiamsi nun-
quam nato possessionem.

§. XL.

Possem ulteriori probatione supersedere. Suf- Argumen-
ficit meam sententiam esse consentaneam principiis tum tertii-
sanæ rationis, leges autem positivas eidem nequa- um ex edi-
quam obstat: quas enim obstat credunt adversa- to Præto-
rii, eas potius nobis favere, paulo post videbis. ris.
Verum ne illud mihi objicias, turpe esse, & JCto in-
dignum, sine lege loqui, dabo aliquid huic tuæ re-
ligioni, leges proferens, thefin meam manifeste con-
firmantes. Lex prima ipsum Prætoris editum esto
I.i.pr.ff.b.t., de quo vide supra (§. 21.22.).

G

§. XLI.

50 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

§. XLI.

Argumen-
tum quar-
rum ex l. 7.
§. 6. ff. b. t.

Lex altera thesin meam confirmans est l. 7. §. 6.
 ff. b. t. ubi ULPIANUS: publiciana actio adinstar pro-
 prietatis, non adinstar possessionis respicit. In hac le-
 ge ADINSTAR denotat similitudinem teste BRIS-
 SONIO de V. S. (ub voce INSTAR; verbum RESPI-
 CIT idem sibi vult, ac consideratur, teste EODEM
 sub verbo RESPICERE. His præsuppositis, sensus
 legis est hic: publiciana actio consideratur ut similis
 proprietati, non ut similis possessioni, vel si mavis: pu-
 bliciana actio magis imitatur naturam proprietatis,
 quam naturam possessionis. Quoniam vero pro-
 prietas est jus, publiciana actio vero non est jus, sed
 potius remedium, jus persequendi, adeoque potius
 effectus juris, quam jus ipsum; porro, quoniam pos-
 sessio non est jus, neque actio, sed potius factum iura
 & actiones producens: per se patet, huic legi dictio-
 nem figurata subesse, & causam ponit pro effectu.
 Sensus igitur legis proprius hic est: publiciana actio
 magis est effectus proprietatis quam possessionis. Jam
 sic rationes induco. Si actio publiciana magis est
 effectus proprietatis, quam possessionis, consequens
 est, ut posita proprietate (nimirum præsumta), com-
 petat publiciana, etiam si nulla antecesserit possessio.
 Arqui verum est prius (per nostram leg m). Ergo
 verum est & posterius, nimirum competere pu-
 blicianam, etiam si nulla antecesserit possessio. Quod
 vero proprietas præsumta seu dominium præsum-
 tum existere possit etiam sine possessione aliqua, o-
 stensum est supra (§. 4.). Liquet vis argumenti et-
 iam

iam ex eo, quod publiciana in hac lege dicatur similis effectui ex proprietate resultanti, h. e. rei vindicationi, negetur vero esse similis effectibus ex possessione resultantibus. Jam vero effectus ex possessione resultantes necessario presupponunt possessionem: quia alias ex possessione resultare non possent; rei vindicatio vero possessionem necessario non presupponit: quia ex dominio oritur, quod in quibusdam casibus sine ulla possessione interveniente acquiritur. Ergo ratio similitudinis, quam adfert JCtus, omnino postulat, ut actionem publicianam etiam sine prævia possessione competere statuamus in casibus, quibus rei vindicatio sine prævia possessione locum habet: Praesertim si cogitamus, publicianam esse introductam in rei vindicationis subsidium, ut sit ejus vicaria (§. 10.); adeoque nesse esse, ut publiciana admittatur, quoties admitteretur rei vindicatio, si a vero domino quis causam se habere probare posset.

Dixi in priore demonstratione: posita proprietate *præsumta*: nam, si veram auctor allegare posset, haberet, rei vindicationem civilem, nec indigeret prætoria *l. i. f. i. ff. b. r.* Quam ob rem JCtus tantum dixit, publicianam esse *adimpliar* proprietatis, quo indicare voluit, publicianam cum civili rei vindicatione non in omnibus sine ulla exceptione convenire, sed potius hanc similitudinem intelligendam esse *salva illa essentiali dissimilitudine*, quam diversus utriusque actionis conceptus inferat, quatenus nempe rei vindicatio ex proprietate vera, publiciana autem ex *præsumpta* nascitur.

§. XLII.

*Argumen-
tum quin-
tum ex l. 7.
§. 8. b. t.*

Ejusdem cum lege priore fere argumenti est l. 7. §. 8 ff. b. t. Ibi UPLIANUS in hæc verba: *in publiciana actione omnia eadem erunt, quæ & in rei vindicatione diximus.* Ecce! rursus innuit JCtus, actionem publicianam *in cunctis rei vindicationem* imitari. Ex quo resultat, actionem publicianam in casibus, quibus dominium etiam nulla interveniente traditione vel possessione acquiritur, concedendam esse, quamvis peritor nunquam possederit: *quia nimis & rei vindicatio in tali casu concederetur, si verum dominium esset penes actorem.* Neque hoc mirum: *quia, ut jam semel atque iterum monui, publiciana est loco rei vindicationis, hujusque vicaria.*

*Responde-
tur objec-
tioni.*

Nihil roboris huic legi decedit, quando cum Clariss. BRAVSI in jam laudata Diff. § 12 contendis, ex hac lege vel ideo nihil probari, quod verba tantum relativa contineant, ex quibus nihil certi possit definiri, cum de loco non constet, ad quem nos remittit JCtus. Præterea ex antecedentibus & consequentibus huius legis probabile fieri, UPLIANVM in primis, quod ad titulum ad transferendum dominium habilem, publicianam cum rei vindicatione comparare voluisse. Denique vel ex hoc solo apparere, verba JCti non esse universaliter accipienda, quia alias sequeretur in publiciana æque dominium esse probandum, atque in rei vindicatione, quod tamen per hujus actionis naturam impossibile. Quod enim attinet ad primum, respondeo, UPLIANUM & lauisse, in quibusdam casibus etiam sine traditione vel possessione dominium acquiri, &, quod inde sequitur, rei vindicationem competere, etiam si alter nunquam fuerit in possessione constitutus, & hoc in scriptis

scriptis suis plus vice simplici docuisse. Sane, cum hanc
ob rem libros Pandectarum de legatis vel fugitivo oculo
perlegerem, statim incidi in texus aliquor, qui, praeter l. 7.
§. 2 ff. b. t., de hac ULPIANI doctrina clarissimi verbis te-
stantur. Evolve e. g. l. 39. §. 2. ff. de legat. i. l. 3. §. 2. ff.
de legat. 3. l. 12. §. 8. ff. quando dies legat. ced. Jam sic:
ULPIANUS de rei vindicatione dixit, eidem in nonnullis
casibus locum esse, etiam si actor nactus nunquam fuerit
possessionem, & in nostra lege jam generatim afferit, in ac-
tione publiciana omnia eadem esse, que & in rei vindica-
tione dixerit. Ex hoc vero, si quid sapio, non potest non
concludi, secundum ULPIANI sententiam etiam actioni pu-
bliciana in nonnullis casibus locum esse, etiam si actor nun-
quam nactus fuerit possessionem, in insidem nimirum, in
quibus rei vindicatio locum haberet sine possessione, si do-
minium probari posset. Quod vero ad secundum, com-
parationem publiciana cum rei vindicatione, ab ULPIANO
factam, frustra & sine ratione solida ad solum titulum re-
stringis. Verba enim Iusti universalitatem sonant, nullam
eiusmodi restrictionem præferentia. Verba autem
universaliter concepta ad casum peculiarem restringere,
ubi nulla restrictionem necessitas imperat, & temeritatem
sapit, & interpres officio repugnat. Arqui vero nullam
eiusmodi necessitatem hic subesse, vel ex hoc solo perspi-
cere licet, quod verba legis cum publiciana ratione ac fun-
damento, nimirum æquirate, & que inde colligi debet,
Prætoris mente ac intentione quam optime cohærent, et
iam si nullam talern restrictionem accipiant. Sacrosancta
nobis esse debet legum verba, atque nefas reputandum,
misere illa torquere, ut cum preconcepta opinione nostra
in concantu esse videantur. Cogita, rationis esse, ut do-
ctrina nostra legibus se se conformem præster, non, ut le-
ges se nostra dicitur. Neque hoc me turbar, quod ait,
verba Iusti non esse universalia, ex eo liquidum fieri, quod

54 *Dissertatio Juridica de rei nunquam posse esse*

in rei vindicatione probandum sit dominum, non item in publiciana: est enim haec differentia ejus farina, ut per se perspicie facile a quolibet possit, dummodo non sit nulla utriusque actionis cognitione instructus. Quare **ULPIANUS** necesse non duxit, de hoc discriminare vel verbo monere. Quodsi vero etiam quoad possessionem differentia inter utramque actionem intercederet, certe eam non subiecisset attentissimus ille **ULPIANUS**, cum talis plane non sit, quæ subaudiri facile possit.

§. XLIII.

Argumen-
tum sextum in l. ii. §. 2. ff. b. t. dicens: *partus ancillæ furtivæ, qui ex l. ii. §. 2. apud b. f. emtorem conceptus est, per hanc actionem petendus est: etiam si ab eo, qui emit possessus non est.*
Emerat aliquis ancillam furtivam bona fide, quæ, postquam emtori tradita, facta est grauida, & post aliquod tempus partu soluta. Hic, editus in lucem, ab alio ante incipit possideri, quam possedit emtor. Quærebatur, an is, qui ancillam furtivam emerat, publiciana uti ad partum vindicandum possit, nec ne? Ratio dubitandi erat, 1) quod talis partus videatur esse res vitiosa, utpote pars matris furtivæ, adeoque tam parum publiciana peti posse, quam parum possit usucapi, uti quidem MARCELLO vistum, teste **SCÆVOLA** in l. io. §. 2. ff. de usurp. & usucap. Ratio dubitandi erat, 2) quod emtor partum nunquam possederit, adeoque iterum non magis publicianam habeat, quam usucapere potuisset. Verum efficere non potuerunt haec rationes, quo minus **ULPIANUS** in hoc casu publicianæ locum daret: partim quia erroneam habuit opinionem existimatium, partum ancil.

ancillæ furtivæ, post furtum demum apud bonæ fidei emtorem conceptum, esse partem matris furtivæ, tunc demum partum pro furtivo habendum esse, affirmans, si mater jam tempore furti fuerit prægnans, vel apud furem conceperit *l. 48. §. 5. ff. de furt.*, eandem hac in re sententiam cum **SCÆVOLA** in *l. 10. §. 2. ff. de usurp.* *l. 26 ff. de V. S.* professus; partim quia etiam eorum doctrinam universaliter non admittit, qui conditionem usucapiendi ad perpetua publicianæ requisita referunt, id quod satis clare innuit in verbis: *etiamsi ab eo, qui emit, possessus non est.* Sed cur **ULPIANUS** admittit publicianam, tametsi auctor nunquam possederit? Ratio est in promtu: Fuit nempe emtor matris bonaæ fidei possessor; talis vero habetur instar domini *l. 136. ff. de R. I.* Jam vero qui dominus est ventris, ei *statim*, h.e. sine ulla corporali apprehensione vel possessione acquiritur, quod ex eo natum est *§. 19. l. de R. D. l. 6 ff. de A.R.D. l. 2 ff. pro suo.* Igitur hic casus est ejusmodi, quo ad dominii acquisitionem possessio nulla requiritur; adeoque præsumto auctor dominio gaudet, etiamsi nunquam possederit (4). Ergo & publicianam habere debet, etiamsi nunquam possederit (*§. 25.*), sicut habiturus esset rei vindicationem, si a domino matrem emisseret. Merito itaque dixit **ULPIANUS**, partum ancillæ furtivæ, apud b. f. emtorem conceptum, publiciana peti posse, *etiamsi ab eo, qui emit, possessus non est.* Et haec Jcti sententia utique nostram doctrinam quam maxime confirmat.

Iterum

*Objectione re-
felliatur.*

Iterum interpellat Clar. KRAVSTVS in Dissert. cit. §. 9. ubi ait, sibi a veritate probabili haud videri alienum, pro qui emit, subaudiendum esse: *qui vendidit*, adeoque hanc legem hue prorsus trahi non posse, eo quod non de possessione emotoris, qui publicanum instituit, sed de possessione venditoris loquatur, quam tamen textus emendationem ipse non nisi *conjecturam* vocat. Verum quis non vider, satis confortam esse hanc interpretationem, eaque vim fieri notissimæ illi regulæ logice, quæ præcipit, ab interprete eo sensu verba esse accipienda, quem ipsis tribuit usus loquendi in schola boni & æqui receperus, donec absurdum aliquid inde eveniens aliud suadeat? Quodnam vero, amabo te! inde absurdum resultabit, si verba legis relinquentur intacta, si genuinum servant significatum, si adulteram non patiuntur manum? tale profecto absurdum ego quidem non reperio, nisi hoc velis absurdum dicere, quod sic exulatura sit fracta thesis adversariorum. Exulet, quid tum? sic locum faciet veritati. At liberalis est Vir Consultissimus, putans, legem hanc pro mea sententia non facere, quamvis nullam recipiat emendationem. Ictus enim, inquit, postulat, ut partus apud b. f. emotorum conceptus sit, adeoque aperte desiderat, ut embryo saltem cum matre simul aliquando ab actore possessus sit. Quando igitur addit ULPIANUS: *etiamsi ab eo, qui emit,* *possessus non est*, illud tantum intelligit de separata aliqua partus jam editi possessione; & hanc non requirit Ictus. Resp. Satis hæc quidem speciosa, sed larva detracta quid remanet? umbra. Nam quid? si largiar, embryonem possessimus esse simul cum matre; & quid proderit actori hæc possessio in publicana? certe proderit nihil: tunc enim certum est, possessionem parris cum possessione matris fuisse unam eademque. Explorati quippe juris est, embryonem esse mulieris vel viscerum portionem l. i. §. 1. ff. de inspic. ventre, atque similem fructibus pendentibus,

qui

qui pars rei in jure habentur l. 44. ff. de R. V. & tunc de-
mum tanquam res per se tales considerantur, si separati l.
27. §. 1. ff. de act. emt. vend. l. 1. §. 1. ff. de ventre inf.;
quis vero negabit, possessionem totius unam esse eandem
que cum partium possessione? Jam vero publiciana exper-
turo possessio matri furtivæ non prodest ex ipsorum con-
fessione adverfariorum & ex ULPIANI nostri sententia l. 9.
§. 5. ff. b. t. Ergo nec proderit possessio embryonis, ut po-
ste proflus eadem cum possessione matri. Ex his manife-
ste sequitur, possessionem illam embryonis proflus non
esse attendendam, ac pro nulla habendam, quando de pu-
bliciana queritur. Jam sic argumentor: si emtor partum
jum editum nunquam possedit, possessio partus nondum
editi vero pro nulla est habenda, consequens est, ut publi-
cianam habeat sine ulla antecedente possessione. Arqui
emtor parrum jam editum nunquam possedit (per hypo-
thesi), possessio partus nondum editi vero pro nulla est
habenda (per mox demonstr.). Ergo emtor publicianam
habet sine ulla antecedente possessione. Et hoc est, quod
volumus (§. 37.). Accedit, quod ideo adjecerit ULPIANUS
haec verba: *etiam si partus ab eo, qui emit, possessus non est.*
ut dubitationem, super necessitate possessionis in publicia-
na sibi subnata, eximeret. Arqui haec potissima erat ejus
dubitatio, an publicianam habeat, qui nullam penitus pos-
sessionem unquam habuit l. 1. §. 2. l. 3. pr. ff. b. t. Ergo et-
iam in nostra lege hanc ejus mentem fuisse, credibile est, ut
nimirum affirmaret, in dato caso publicianæ locum esse, et
iam si actor nullam penitus possessionem unquam habuerit.

§. XLIV.

Silentio prætero alias leges, quas pro mea sen-
tentia confirmanda laudare possem e. g. l. 12. §. 1. ff. *Præterea*
alia leges b. t. Ibi: *is, cui ex Trebelliano hereditas restituta est tanguntur.*
(nimirum verbis), ETIAMSI NON FVERIT NA-

H

CTVS

58 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessae*

CTVS POSSESSIONEM, *vti potest publiciana, & l. 15. ff. eod.* Ibi: *si servus meus, cum in fuga sit, rem a non domino emat, publiciana mihi competere debet,* LICET POSSESSIONEM rei traditæ per eum NATCVS NON sim, quibus legibus satis facere quidem conantur adversarii, in sensu eas torquendo a mente auctorum alienos; sed jam non vacat, eos refutatum ire: partim quia etiam sine hisce legibus sati evictam dare licuit thesin meam; partim quia in plures jam paginas excrevit hic labor, ac initio propositum fuit mihi. Quare ad solvenda potius atque enervanda, quæ contra doctrinam meam adferri in medium possunt, ac solent, argumenta accedo.

§. XLV.

*Dissipantur
objectiones.*

Sententia meæ primum aritem admovet STRAYCHIVS in *Diss. de public. in rem act. Th. 4.* Verissimum est, inquit, quod nemini, nisi qui in conditione usucapiendi est, competit publiciana *§. 4. in fin. J. de act.* & est hæc communis DD. sententia, quam firmitat *l. 1. pr. b. t.* ubi Praetor solus usucaptionis facit mentionem. At vero usucapio sine possessione non procedit *l. 3. ff. de usurp. & usurp.* Ergo nec publiciana sine possessione datur. Haecenius STRAYCHIVS, quocum eandem cantilenam cantat Char KRAVISIVS in *Diss. laudata §. 5. 6. 13.* Respondeo ego: fallissimum est, quod nemini, nisi in conditione usucapiendi est, competit publiciana. Neque hoc evincit STRAYCHIVS ex *§. 4. J. de act.*, multo minus ex *l. 1. pr. ff. b. t.*: quippe quæ leges faciunt pro me, tantum abest, ut contra me, ut ostensum est supra

suprā (a §. 20. usque ad §. 29.). Sed neque illud me fulmen perterret, quod opposita sententia sit communis DD. Sit enim bonus BALDVS, sit BARTOLVS, sint & altii, quos in Th. cit. magno numero in secundam producit STRAUCHIUS, melior tamen mihi veritas. Ego non, qui & quid dicant, attendo, sed quid rationi & legibus consentaneum sit, considero.

§. XLVI.

Sed nondum vale mihi STRAUCHIUS dicit. *Ulterior*
Alia adhuc ratione utitur, quam ipse *fortissimam Th. objectio-*
cit. appellat, & quanam illa? hac nempe: quia pu-
bliciana non datur, nisi ei, cui res tradita est l. 7. §. 16. iutio.

b.t. Ast ego nego, publicianam non dari, nisi ei, cui res tradita est. Hoc vero an ex allata lege probari possit, jam videbimus. Ita autem se habet: *ut igitur*
publiciana competit, hæc debent concurrere: ut & bo-
na fide quis emerit, & ei res emta eo nomine sit TRA-
DITA. Cæterum ante TRADITIONEM, quam-
vis b.f. quis emtor sit, experiri publiciana non poterit.
In hac lege, inquires, ULPIANUS, requisita publicia-
næ determinaturus, satis clare etiam traditionem eis
accenset. Resp. accenset in casu emtionis & aliis si-
milibus, hoc concedo; universaliter & in omni casu,
hoc nego. Hæc lex aperte loquitur de casu, quo is,
qui actione publiciana experturus est, rem emit.
Jam vero in tali casu utique dominium non acquiri-
tur sine traditione l. 20. C. de pa&t. Ergo nec præsu-
mi potest sine traditione (§. 4.). Ergo nec publicia-
næ locus est (§. 11.). Hæc igitur ULPIANI theoria
meæ apprime conformis est. Certe si JCtus in hac

60 *Dissertatio Juridica de rei nunquam possessæ*

lege traditionem ad requisita publicianæ universali-
ter retulisset, ea adversarios non minus, quam me, fe-
riri: tunc enim is, qui rem alienam, quam pro de-
relicta habuit, occupavit bona fide, ejus possessione
casu amissa, non haberet publicianam. Thesis mea
demum jugulabitur, si ostensa fuerit lex, *universali-*
ter negans, sine præcedente possessione publicianam
competere. Sed ubi extat illa lex?

§. XLVII.

*Removen-
tur alia ob-
jectiones.*

Eandem responsonem exspectent, qui objici-
unt l.3 4.5.6.9.11. pr. §.1. l.12. pr. §.2 7. l.ult. ff. b.t.
quamvis enim hæ leges *traditionis & possessionis* faci-
ant mentionem, tamen omnes loquuntur vel de em-
tione, vel certe de alia simili causa, quæ, accedente
demum traditione, dominium transfert; nulla vero
earum traditionem aut possessionem universale pu-
blicianæ requisitum esse jubet. Ergo non magis
sententiam meam infirmant, quam lex illa, §pho
præced. explicata.

Dices: sed quid in causa est, cur pleræque leges, hoc
titulo comprehensa, loquantur de casu ejusmodi, quo tra-
ditione ad publicianam requiritur? Resp. hoc in causa esse,
quia leges pleræque, hoc titulo comprehensa, sumunt
ex variorum commentariis ad editum Pratoris. Jam ve-
ro Pratoris editum talem præcipue casum haber, quo tra-
ditione ad publicianam requiritur (§. 21.). Ergo mirum non
est, quod leges traditionem in ore ferentes, fere utramque
hujus tituli paginam faciant. Ex hoc autem simul per-
spici facile potest, hasce leges nostram sententiam nequa-
quam labefactare, sed etiam quam maxime confirmare, id
quod eodem prorsus modo ostendi posset, quo de Prato-
ris edito offensum legitissupra (§. 21. 22.).

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Obstrepis, te jam semel atque iterum provoca. *Rursus alii*
tum a me esse, ut ostendas legem *universaliter aße objectionis*
rentem, sine prævia possessione locum non fieri pu*obviam*
blicianæ, talem vero legem omnino extare, nimirum itur.

l. 13. pr. ff. b. t. ubi CA J U S universaliter afferit: *quæ-*
cunque sunt justæ causæ acquirendarum rerum (h. e.
habiles ad transferendum dominium), si ex his cau-
sis naëti res amiserimus, dabitur nobis, earum rerum
persequendarum gratia, hæc (scilicet publiciana) actio.
Ex hac lege tale contra nos ponи medium potest.
Ex omni causa habili ad acquirendum dominium
datur publiciana, si, ex tali causa possessionem naëti,
eam iterum amiserimus, (per nostram legem). At-
qui etiam illæ causæ, quibus dominium acquiritur
sine traditione & possessione, e.g. legata, sunt causæ
habiles ad acquirendum dominium *l. 1. s. 2. ff. b. t.*
Ergo etiam ex his causis datur publiciana, si, ex his
causis possessionem naëti, eam iterum amiserimus.
Ergo, si ex his causis possessionem naëti nunquam
sumus, publiciana non dabitur. Responde: concedo to-
tum syllogismum, sed nego consequentiam inde for-
matam, utpote, quod pace tua dixerim, vitiosam:
nam ex syllogismi tui conclusione non magis sequi-
tur id, quod ex ea infers, quam ex hac propositione:
Ergo homo, qui nunquam manumissus, non est liber.
Sane, si hoc genus argumentandi procederet, negan-
dum esset, ingenuum esse liberum, quod absurdum
esse non negabis. Jam vero tuum argumentum
hunc ita est timile, ut ovum ovo: nempe commissa

H 3

in

62 *Dissertatio Juridica de rei nunquam posseſſæ*

in utroque est fallacia, quam fallaciam consequentis logici vocant, teste Cel. REUSCHIO in *Syst. log.* f. 729. Ignosce, B.L., tricis logicis: sunt enim malum, si ita tibi placet, etiam in jure interdum necessarium.

§. XLIX.

*Eadem am-
plius ener-
vatur.*

Examinavi argumentum qua formam; nunc ad materiam progredior, legis puta tenorem. G A J U S iis tribuit publicianam, qui, ex justis causis possessionem naſti, eam iterum amiserunt. Et hoc veriſſimum est. Sed quid ex hac G A J I sententia ad deſtruendam meam theſin eliciſe poſſis, plane non video: nullibi enim negat G A J U S, publicianæ locum eſſe, quories quis non eſt naſtus possessionem: ſi quidem poſitio unius non ſtatim eſt negatio alterius. Jam vero hoc negare debuifſer, ſi ad infirmandam ſententiam meam tela non innocua vibrare voluifſer. Cernis itaque, cribro eos aquam haurire, qui hanc G A J I legem nobis opponunt.

§. L.

*Tandem fit
ex dictis
conclusio.*

His in utramque partem ea, qua decet, atque per rationem praefentis instituti licuit, cum diligenter disputatis, tandem ita rationes subducere nullus dubito. Quæcumque ſententia ita eſt comparata, ut a) cum principiis ſanæ rationis quam maxime conſentiat, b) etiam legibus positivis firmata ſit, atque c) rationibus, quæ pro opposita ſententia militare videntur, dextere ſolvendis diſpellendisque per quam apta, illa ſirmo ſtato, eftque ſententia opposite, hiſce prærogativis deſtituta, ſine ulla dubitatione præferenda. Atqui, talem eſſe noſtram ſententiam,

tentiam, evictum dedimus per omnes hasce paginas. Ergo nostra sententia firmo stat tali, estque sententiæ oppositæ, hisce prærogativis destitutæ, si ne ulla dubitatione præferenda. Jam functus, di-
vina adjuvante gratia, officio meo jucundum
ambabus amplector

F I N E M.

VIRO ILLVSTRISSIMO

S. R. I. COMITI

LEOPOLDO CÆSARI a NAY-HAVS

S. P. D.

P R A E S E S.

Sbeatos merito prædicamus, quos nascendi conditio supra vulgarem multum eminere fortunam fecit, TE, ILLUSTRISSIME COMES, quibus mactemus, difficile sane est encomia reperi. Is enim es, quem & avitum S. R. I. comitum generis splendor decusque in prime hominum ordine collocat, & solidissimæ laus eruditio, rarumq. illud nobilitatis diadema, a reliquis TUI generis non me diocriter distinguit. Is, quem concinna morum suavitas omnibus reddit iucundum. Is denique, quem REGI placendi, & PATRIAE commodis promovendis immorandi studium gratia utriusque prestat dignissimum. Patere, ILLUSTRISSIME COMES, manum ut abstineam a reliquis, quibus Fridericiana nostra TE ornatum suscipit, laudibus describendis: maiores enim sunt, quam quas capere exigua hæc charta queat. Verbo ut omnia comple-

ctar




Etar, CAESAR existis ex omni genere laudum atque virtutum, nomine inelytus & omnine. Id solum jam ago, quod singularis erga TE mea reverentia juberet, & quid illud? Gratulor TIBI intimum sensibus de TUIS, quos in Philosophiae & Jurisprudentiae studio non vulgares fecisti, profectibus; gratulor de solidissimo hocce eruditionis specimine, in quo defendendo meum, quae TUA est gratia, a me auxilium & peristi, & pro maxima, quam TIBI debo, reverentia etiam facile impetrasti, quamvis & sine Praeside satis facundus in cathedra futurus; Gratulor denique de virte academicæ curriculo maximo cum fructu confecto. Abi jam, & collige illam, quam TUUM TIBI, quo TE natura felicissimo fixit, ingenium, cum indefessa conjunctione diligentia, comparavit, amplissimam messem. Abi, & AQUILÆ illius REGIA beneficio ad supremos patrii solis radios velociter ascende, ad quos accessus TUI tantum similibus patet, iis nimirum, quos antiquæ prosopiae homines, non fucatae studium virtutis, rara eruditio, indoles optima commendat, reliquis longo post se intervallo relictis. Abi denique paternos revisum lares, & in suavissimos suavissimi atque Illustrissimi amplexus PARENTIS rue, quem & merita & cana senectus & genus omne virtutum bonis omnibus, mihi inprimis, maxime reddit venerabilem, abi, inquam, dignissima tanto PARENTE soboles. Vale, & ut facis, gratia TUA, cui ego nihil antepono, etiam in posterum me prosequere. Dabam in
 Fridericiana d. xxv. Augusti MDCL.



halley, Diss.) 1751 $\pi(\pi-z)$





DISSERTATIO IVRIDICA
DE
REI NVNQVAM POSSESSAE
PER
ACTIONEM PVBLICIANAM
VINDICATIONE.

QVAM
LEOPOLDVS CAESAR
S. R. I. COMES A NAY-HAVS
AVCTOR ET RESPONDENS

PRAESIDE
VIRO CONSULTISSIMO
PHILIPPO IACOBO HEISLER

IVR. VTR. DOCTORE

IN ALMA FRIDERICIANA

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS

DIE XXVIII. AVGUSTI ANNO MDGCLI.

PVBLINE PROPVGNABIT.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

MDCC LXI.

(8)